[illegible]

METHODUS
Remittendi & Retinendi
PECCATA.

Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Joan. 20.

AVTHORE

GUMMARO HUYGENS Lyrano

S. T. D. in Academia Lovanienſi.

Editio ſecunda planior & tertio Tractatu auctior.



LOVANII,

Typis HIERONYMI NEMPÆI. 1674.

Cum Gratia & Privilegio.

Censura Ordinarii.

VÆ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Væ, inquam, Confessariis laxitatum fautoribus, qui sine ullo discrimine quosvis peccatores ad se adventantes, sive consuetudinarios, sive in proximis peccatorum occasionibus hærentes passim absolvunt: quod quàm sit impium, quàm Sacramento Pœnitentiæ injuriosum, & quàm animabus Christi Sanguine redemptis perniciosum, quia hæc Methodus Authore Exi. D. Gummaro Huygens Lyrano S. T. D. *copiosè demonstrat, sitq; conformis instructionibus* S. Caroli Borromæi, *& ex ipsis quasi concinnata, digna est, quæ prælo subjiciatur, ut sit Pœnitentibus pro medela, Confessariis verò serviat pro Regula, quâ illa cum prudentia, quam sæpius author inculcat in administrando Sacramento Pœnitentiæ utantur. Datum Mechliniæ 9: Ianuarii* 1674.

LAURENTIUS NEESEN
Canonicus Theologalis
Librorum Censor.

CAROLI Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, Serenissimi Belgarum Principis Diplomate, concessum est HIERONYMO NEMPÆO Typographo jurato, in Academia Lovaniensi residenti, ut liberè imprimat ac divendat Libellum cui Titulus *Methodus Remittendi & Retinendi Peccata*, Authore GUMMARO HUYGENS Lyrano, S. Th. D. interdictumque ne quisquam alius eundem Libellum intra Brabantiam imprimere, aut alibi impressum divendere, citra expressum ejusdem Typographi consensum præsumat; sub pœna confiscationis exemplarium, & triginta insuper florenorum in singula: prout latiùs patet ex originali Diplomate. Dato ac Sigillato Bruxellæ in Supremo Brabantiæ Senatu.

Signat

LOYENS.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

NON ita pridem Ampliſſ. Dom. per Archi-diœceſin noſtram Mechlinienſem Vicarius ſolicitudine verè Paſtorali Confeſſarios omnes atque Animarum Moderatores (Sede id temporis vacante) commonefecit, ut in munere ſuo obeundo præclaras S. CAROLI Mediolanenſium Archi-Præſulis & S. R. E. Cardinalis inſtructiones ſervarent ſequerenturque. Cui fini tria ex illis (quas Paſtorales vocant) capita excerpſit, & in publicum edenda curavit. Hoc prælucente exemplo, & praxi illâ

ſuccreſcente, non exiguum operæ pretium fore judicavi, ſi Doctrinam hiſce Capitibus comprehenſam nonnihil dilutiùs tradidero, atque exemplis Belgarum noſtrorum moribus accommodis illuſtraro. Authoritatis porrò necnon rationis munimento (quantum Deus dederit) eandem ſtabiliam, quô veritas hunc in modum magìs elucidata animos permoveat illorum, qui Sacramentorum ſunt pro Chriſto diſpenſatores, ut, inquam, mentis indagine expendant, quantum in Sacramento Pœnitentiæ dignè adminiſtrando poſitum ſit momentum.

Scriptionis hujus Argumentum quatuor divident Tractatus: quorum primus complectetur ea, quæ S. CAROLUS capite 15. ſuarum Inſtructionum parte 2: alter capiti 16. ibidem de peccatis ex occaſione, quam vocat per ſe, reſpondebit: Tertius aget de peccatis ex occaſione per accidens (de quibus Sanctus CAROLUS capite 17: poſtremus (ſi tamen poſtremus) varii, non tamen diſſimilis erit argumenti, & dictorum in prioribus affinia exhibebit. Impræſentiarùm verò duo dumtaxàt priores in lucem prodeunt, aliis (ſi primis benè

benè vertat Deus) viam munituri. Quid me ad harum instructionum Doctrinam elucidandam impulerit, facilè videt, quisquis videt collapsis adeò moribus nihil opportuniùs tractari potuisse, ne istud Confessariis vitio vertatur. Etenim si non parùm delinquunt, & valetudini corporis injurii sunt Medici, qui artis suæ præceptiones neglectui habent aut contemptui: si malè fortunis privatorum consulunt, quin & Reipublicæ tranquillitatem interpellant; qui juri dicendo præfecti, juris sunt imperiti, aut leges & æquitatem oculis non præfigunt: quô locô habendi forent ii, qui animarum moderamen capessere, & pro Christi tribunali sedere, aut minùs periti, aut æquô remissiores non reformidarent? Tanto, precor, hæc penitùs expendant, quantùm anima corpori, & æterna salus præstat temporali. Ecquid enim fortunæ, valetudo, & Reipublicæ, quanta quanta est, tranquillitas ad æternam tot animarum salutem? *Quam*, inquit. Veritas, *commutationem dabit homo pro anima sua?* Profectò magìs hinc, si ea trutinare lubet, conspicuum fit, quàm sanctè S. CAROLUS Instructiones

 suas

ſuas concinnarit, quàm ſedulò Vicarias partes adimplerit, qui illas ſuis per Diœceſin Paſtoribus commendavit, & an non utiliter hic Libellus iſtis ducibus in publicum prodeat. Si quo tamen in negotio prudentia opus eſt & circumſpectione, fallor, niſi in hoc animæ negotio opus ſit multo maximâ; quare ſtudiosè incumbendum, ne vitium vitio commutetur, aut in alteram eatur extremitatem, hoc eſt, ne indulgentia noxia in rudem & exceſſivam vertatur ſeveritatem, atque ita quos meliores reddere ſtudebant, in deteriora fortè præcipitent. Avocaret forſan aliquos ab hac Methodo, quòd rigorem veterum Canonum Pœnitentialium hîc revocari ſuſpicabuntur, niſi hanc Lectori ſuſpicionem abundè eximeret attenta illius lectio. Ubi tamen legeris quædam pietatis & Pœnitentiæ exercitia ante abſolutionem exigi; hæc idcirco fiunt, tum ut per ea ad converſionem diſponantur, tum ut illorum converſio ex iis velut effectibus & ſignis innoteſcat.

Nec eſt, quod quempiam ab hâc Methodo amplectenda deterreat difficultas, hæc enim, ſiqua forſan initio erit, inſtar nebulæ

nebulæ ad Solem charitatis Confessario imprimis necessariæ evanescet, & reliquam devorare facient tot animæ, quæ è peccatorum labyrintho se hoc filo egressas gaudent, suo ipsarum judicio aliàs semper erraturæ. Mirum! quantam omnia spondeant facilitatem & progressum: si enim Confessarios consulis, plurimos comperias, qui hîc præscriptâ Methodo utentes à peccatorum devio in viam salutis multos reduxerunt: neque enim ad scribendum adjeci animum antè, quàm cum eruditis pariter & piis Confessariis de hocce Argumento egissem prolixiùs. Sin ipsos audire magìs lubeat Pœnitentes, tantum abest, ut spem abjecturi sint, aut à Confessariis huic Methodo insistentibus alieno futuri sint animo, ut ex adverso quotidiana doceat experientia, plurimos vel eo dumtaxàt nomine hujus Methodi Confessarios convenire.

Hæc mihi spem faciunt fore, ut hic conatus meus Deo Opt. Max. probetur, & homini salutis suæ studioso non sit ingratus; si tamen quid secùs alicui visum fuerit, etiam atque etiam rogo, ut secundùm conscientiam, non verò ad

defen-

defenſandam fortè præconceptam ſuam opinationem id exponat; ego, quæ me ad iſtud dicendum adduxerint, ſecundùm charitatem reponam, & quod dictum fuerit, æqua lance expendam, juxta paratus vel candidè docere, quod ſcio; vel ingenuè diſcere, quod ignoro.

Occurrent tibi inter legendum, Benigne Lector, in hâc ſecundâ priorum Tractatuum editione multis locis vocabula aliqua variatà aut tranſpoſita: ſubinde etiam quædam ſunt addita vel expuncta, id majoris claritatis causâ factum eſt. In doctrinâ equidem nihil omninò eſt immutatum. Deum precor, ut, dum hâc utêris, in ipſius gloriam, Sacramenti reverentiam & tuam proximique ſalutem cedat.

AD CONFESSARIUM ut Judicem.

Ne iniquè judicet: *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tuâ.* Eccl.7.v.6.

Ad eundem ut Medicum.

Ne assimiletur iis, qui *sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax, cum non esset pax.* Jer.8.v.11.

Ad eundem ut Magistrum.

Ne doceat oscitanter: *Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinâ, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate suâ captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Ezech.33 v.6.

Ad eundem ut Patrem.

Ne perditè amet: *Qui diligit illum* (filium) *instanter erudit.* Prov.13.v.24.

IN-

INDEX
TITULORUM.

Tractatus I.

mer-

tos

Obje-

** Object. IX.

Tractatus II.

De occasione peccatorum Mortalium.

quam

Obj. IV.

METHO-

METHODUS
Remittendi & Retinendi
PECCATA.

Hypotheses huic methodo præmissæ.

PRIMA.

NUlli licet administrare Sacramenta cuiquam, dum certò novit deesse materiam requisitam. v.g. nemini unquam licet baptizare liquore, quem certò novit non esse aquam.

SECUNDA.

Sacramentum Pœnitentiæ requirit indubitatè dolorem animi, ac detestationem de peccato commisso, & proposi-

tum non peccandi de cætero. Nunquam igitur absolvendus ille, quem novisti, non satis dolere de præteritis, vel non proponere, ut oportet, emendationem in futurum. Nec refert, quod Pœnitens ipse nihil horum sibi deesse arbitretur, quia Confessarius (ut supponitur) certò novit, quòd illorum aliquid desit: hîc autem judicem agere, est Confessarii.

TERTIA.

Nunquam licet uti materiâ dubiâ, dum certa haberi potest. Confessarius igitur justo relicto dubio, an dolor pœnitentis, & propositum sufficiant, nequit eum sic absolvere, si debitæ dispositionis certitudinem procurare possit.

QUARTA.

Non licet administrare Sacramentum, dum materia est verè dubia, quamquàm alia haberi nequeat; nisi tàm irreverentiæ periculum, quàm alia indè secutura incommoda, justa excuset necessitas. Undè illum, de cujus sincero dolore vel proposito meritò dubitatur, absolvere citra necessitatem nequaquam licet: Sicut nullâ urgente necessitate, liquore

quore de quo, an ſit aqua, ambigitur, baptizare inhibetur. Secus dicendum, dum juſta neceſſitas (qualis dubio procul eſt extrema) aliud cogit, quia v. g. alioquin abſque baptiſmate quiſpiam deceſſurus foret.

Quæ contra hanc hypotheſin ſtatui poſſent objectiones, ſub finem Tractatûs ſecundi & tertii refelluntur, & non parum ſimul elucidatur hæc hypotheſis.

QUINTA.

Ut quempiam licitè abſolvas (citra neceſſitatem ſermo eſt) non tanta requiritur certitudo de dolore propoſitoque pœnitentis, quanta de baptiſmi materia, ut illâ licitè baptizes; ſiquidem ad majorem certitudinem de baptiſmi materia, quæ ſenſibilis eſt & phyſica, veniri poteſt, quàm de noſtro ipſorum dolore & propoſito queat comparari; multo proindè major poteſt acquiri de baptiſmi materia, quàm de alterius dolore & propoſito.

SEXTA.

Confeſſarius, cui certò innotuit, Pœnitentem retinere affectum erga pecca-

tum mortiferum, ſive affectum illum in Confeſſione prodat, ſive minùs, ſatìs ſuperque novit, quòd Pœnitens non adferat materiam ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitam: ſi verò de ejuſmodi affectu dubitandi locus relinquatur, ex juſto dubio de affectu remanet dubium de materia Sacramenti.

TRACTATUS I.

QVÆSTIO I.

Qui comprehendantur hâc asſertione S. Caroli Borrom. inſtruct. Paſt. p. 2. c. 15. *Confeſſarii abſolvere eos non poſſunt, qui peccato mortali valedicere conſtanter non decernunt?*

NOn eſt, quod dubitetur, quin hæc complectatur omnes, qui affectum erga peccatum mortale quodcumque etiamnùm retinent.

Ecce nonnulla exempla: hujuſmodi ſunt, qui peccatum quoddam mortale, licet poſt plures demûm annos, iterare impræſentiarum ſtatuunt.

His accenſeas, qui rem alienam notabilem iniquè detinere, vel damnum notabile alteri à ſe injuſtè illatum non reſarcire perſeverant, nullâ etiam causâ excuſante.

Quotquot item dimittere renuunt illecebrosum venereumque ornatum, quô alios ad desideria ut minimùm aut delectationes venereas, seu expressè, seu interpretativè cum mortali volunt incitare.

In eodem quoque luto hærent, qui voluntatem duella, occasione datâ, offerendi, aut oblata acceptandi retinent, quorum similes sunt & illi, qui in mortifero vindictæ vel odii affectu permanent.

Hujus item farinæ sunt, qui superstitiones aut harum instrumenta, quibus ex. gr. se adversus vulnera & ictus perperàm tuentur, abdicare detrectant.

His illos quoque adnumerabis, qui picturas statuasvè impudicas vel retinent vel faciunt: qui sermones obscœnos intermittere nolunt.

Et denique in horum numero sunt ii, qui in gravi acquirendæ scientiæ hærent negligentiâ, sive illa cognitio generatim hominis Christiani officio necessaria fuerit, sive illi speciatim functioni, ad quam pro statu suo adstringuntur.

Non mediocriter hîc quoque erratur, dum ad instructionem necessariam

nil

nil deesse putant illis, qui dogmata Christiana, verbo quidem tenùs utcunque nôrunt recitare, nullam tamen aut vixdum eorum, quæ recitant, congruam ideam sive notitiam habere comperiuntur.

Quòd hæc exempla præ aliis plurimis hùc sint allata, non indè factum; quòd cæteris sunt difficiliora; verùm quia crebriora sunt, & Confessiones audientibus occurrere magìs solita, ut sic quoque illis ad manum sint, quæ Pœnitentes sedulò interrogent.

Comprehendit hæc quoque S. Caroli assertio omnes, quibus aliqua quidem voluntas est peccata lethâlia deserendi, ast vacillans tantum, imbecillis, aut hæsitans: ecquis enim istiusmodi homines à peccato prorsùs recedere, vel illi *valedicere constanter* asseruerit? Istud tamen (veluti compertum est) vera peccatoris conversio requirit.

Ab his vix discrepant illi, quibus non est voluntas absoluta: ast aliqua, ut vocant, velleitas peccato mortali renuntiandi: hanc sibi fuisse, priusquam satìs foret conversus, testis est August. ubi ait: Lib. 8. Conf. c. 5
"Voluntas nova, quæ mihi esse cœperat,

 rat,

„rat, ut te gratis colerem, Deus, sola „certa jucunditas, nondum erat idonea „ad superandam priorem vetustate ro„boratam: Ità duæ voluntates meæ, „una vetus, altera nova; illa carnalis, „illa spiritalis confligebant inter se, at„que discordando dissipabant animam meam".

Omnes quotquot hîc numeravimus, manente illâ constitutione, idcircò nequaquam sunt absolvendi, quia juxta hypothesim sextam deesset illis materia proxima ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita: Est quippe in illis affectus erga peccatum aliquod mortale.

DUBIUM PRIMUM.

Quid faciendum, si Pœnitens de illa indispositione nil fuerit confessus; imò in Confessione nequidem dederit occasionem examinis super talibus, & nihilominùs hæc aliundè Confessario innotuerint?

Quâcumque tandem occasione Confessarius in horum cognitionem venerit, satis est; & si certò quidem nórit Pœnitentem indispositum esse, novit

certò deesse materiam essentialiter requisitam, ac proindè ex Hypothesi prima consequitur, vetari illum absolvere. Ex quo & hoc conficitur, illi beneficium Absolutionis non impendendum, qui solutionem debitorum suorum vel differre, vel negligere cum mortali, à Confessario non ignoratur. In his omnibus seponendus est casus, quo debitum Confessionis sigillum læderetur.

Sed nec hunc licitè absolvet, quem litem iniquam sequi novit, quamquam Pœnitens istius se minimè incusârit.

Non rarò quotidiana extra Confessionem docet experientia, nonnullos graviter in leges justitiæ impingere, res suas multò carius, quàm valent, vendentes, idcircò dumtaxat, quia emptori res ista commoda est, aut necessaria: ex. g. quis fundum à se, aliisque centum florenis solummodò æstimatum vendit ducentis trecentisvè, quòd eo emptor carere nequeat, venditurus aliàs centum dumtaxat, si abforet hæc opportunitas.

Idem obtinet in Pœnitente, quem novit Confessarius (quamquàm in Confessione id non prodat) idcircò absolutione indignum esse, quia detrectat restitue-

re nummos, quibus officium publicum divendidit, quod ex decreto Regis, à quo ſtipendio donatur, gratìs (ut ſupponitur) conferendum fuerat.

Si Confeſſarius exploratum habeat, quòd Quæſtor quiſpiam ſtipendio ſuo haud contentus vivat, quòdque à creditoribus per fas & nefas aliqua extorqueat priùs, quàm iis, quod debet, ſolvere ſtatuat, quem ob finem ſolutionem identidem procraſtinet, & æquo difficiliorem ſe reddat: novit eum idcircò indignum Abſolutione.

Quamquam hiſce caſibus nullus eorum quicquam confiteatur, Confeſſarius cognitionem horum aliundè nactus, illorumque pravæ diſpoſitionis jam non ignarus abſolutionem impendere non poteſt.

Neque huic repugnat, quod horum indignitas Confeſſario Pœnitentis teſtimonio non innotuit, niſi furem fortaſſe, impudicum, latronum quemvis, hæreticum, immò & Judæum, quin & atheum, & hiſce in flagitiis obfirmato animo perdurantem, nihilominùs cenſueris eapropter abſolvendum, quia hæc omnia (quamquam aliundè Confeſſario ſatìs

satis superque nota) confiteri tamen refugit, aut interrogatus negare non erubescit; quo quid absurdius dici possit, non video. Quidni & eâdem fronte admittat quis non procul abfore, quin asserere idem cogatur, dæmonem ipsum esse absolvendum, si assumpto in corpore lubeat ipsi pium mentiri Pœnitentem, Confessario imposturam aliundè, quàm ex Confessione, pernoscente. Nec enim refert, quòd alioqui probè scias aptum non esse; qui Sacramentum suscipiat; utor enim (quod aiunt) argumento ad hominem, nihil istius tibi per Confessionem innotuit.

DUBIUM II.

An Confessarius possit in statum confitentis inquirere, quando illi non innotuit?

Pone Confessarium neque ex propria Pœnitentis accusatione, neque aliundè satis perspectum habere conscientiæ illius Statum: quæritur tum, an Confessarius possit discutere, & in illum inquirere? Sanè istud factum omninò oportet, etenim quotidianâ docemus

cemur experientiâ, homines tùm circa officium Christiani, ejusque generatim obligationes, tùm circa peculiare officium & conditionem, magnâ & non tolerandâ labore ignorantiâ; ex qua deindè proficiscitur ut non pauca illorum, quæ exprimenda essent, præ ignorantia eos reticere deprehendamus quàmvis in animum inducant universa peccata mortalia exprimere.

Dixerit forsan quis, consectaneum hinc esse, ut confitens, quoties Confessarium, cui ignotus est, accedit, Confessionem instituat generalem, quod nemo non dixerit, à vera Theologia alienum: nihil minùs inde consequitur; siquidem generalis omnium præteritorum Confessio; & præsentis Statûs expositio plurimùm discrepant: hanc necessariam esse judicat, illam non item, quisquis Confessarium, conscientiæ judicem agere non ignorat.

Alienum interim sit ab hoc foro, ad ea digredi, quæ momentum Confessionis non concernunt, ut ea dumtaxat disquirantur, quæ statum Pœnitentis & conscientiæ sinus aperiunt.

Quô Confessarius in hujus tam generalis,

ralis, quàm peculiaris obligationis admodùm necessariâ indagine promptior reddatur: Primò quæ circa generalem inquirenda, hîc subjiciemus.

Oportet inprimis in memoriam redigere creationis nostræ & redemptionis finem, qui est vivere non suis cupiditatibus sed Deo. Propterea non excidant potissimæ vitæ Christianæ regulæ, quarum facilè præcipuæ sunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Matt. 22. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus.* Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire: non potestis Deo servire & mammonæ. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* 1. Joan. Cap. 3.

Quàm multi, prô dolor! ad lethalem usque culpam ab his deflectunt: alii enim finis ultimi loco non Deum, sed honores habent; alii nummos & opes; alii vanitates, commoditates, & res terrenas, quas cordi magìs habent, plurisvè æstimant, amant, complectuntur, quàm Deum, Creatorem, Redemptorem. Hi proindè à labe mortali haud immunes sunt, dum in illis, in quibus potiores partes habere, & dominari debuerat Dei amor, sæculi amor primum sibi vindicat

dicat locum. Qua in re speciatim quoque noxam mortalem contrahere contingit illos, qui potissimam vitæ partem insumunt potitando, lusui & venerationi indulgendo, procando, & aliis id genus ad sensus oblectandos, aut otium (quod aiunt) fallendum, quibus se mundum ita diligere perhibeant, ut charitas Patris non sit in eis.

Eodem morbo laborant, quæ totæ sunt in vanitatibus, & nihil aliud, quàm cultui & ornamento corporis student, non alio fine, quàm ut hominibus complaceant.

Eodem ordine & illi habendi, qui primam curam in res perituras sectando collocantes mortali maculâ se coinquinant; etenim nemo hos omnes regnum Dei primò quærere & justitiam ejus, dixerit.

De quocumque horum, an confitentem inidoneum reddant, obortâ justâ dubitatione, non dubitet Confessarius, quin dicto examine opus sit juxtà Hypothesim tertiam.

Hæc de generalibus: jam ad examen (ubi opus erit) de officio aut conditione peculiari transeundum. In hoc, quid vitio-

vitiorum in isto opificio, in hac arte, aut quovis peculiari vivendi genere potissimùm committi soleat, inquirendum erit.

Multos invenias Sartores, Cerdones, aliosque hujusmodi opifices, qui Festis Dominicisque diebus ab opere suo servili, se non abstinere consueverunt, etsi desit causa excusans.

Multos quoque comperies, qui in causis forensibus quoquo modo versantes, iniquis perindè ac æquis patrocinantur causis.

Alios qui in Magistratu sedent, consulare munus obeunt, aut alio funguntur officio, ad quod perjurio, seu quod idem valet, juramento cum restrictione mentali, aut alio iniquitatis pallio evecti fuerunt.

Nobiles (quin & Sacerdotes ab hoc examine non excludes) multos reperire erit, qui ad mortale usque otia sectantur.

Divites sæpenumerò in statu peccati mortalis esse arguuntur, quia eleëmosinas, (quarum magnitudinem ex illorum opulentia judicabis) pauperibus elargiri negligunt, ità quidem, ut graviter

ter in dilectionis proximi mandatum impingant.

Si Nobiles, Milites, atque inprimis militari inter hos dignitate fulgentes, tribunal tuum subeunt, de duellis examen plerumque instituendum: an soliti sint nimirùm gerere affectum sive voluntatem duella offerendi aut acceptandi oblata: An eos, qui ista offerre aut subire parati sunt, non majoris æstiment aliis, aut dignitatibus citiùs admoveant, alios velut meticulosos posthabentes.

Sunt & inter Nobiles, ut fertur, ex alio sexu hac de re interdum examinandæ, quia huic flagitio fomitem præbent, dum duelliones laudant, aliósque, qui duella oblata detrectant, alloquio dedignantur.

Prætereà à Patribus-familias & matribus inquirendum, quo pacto prolem suam educent, quibus moribus imbuant, quam curam gerant famulorum ancillarumque, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet*, inquit Apostolus, *fidem negavit, & est infideli deterior.*

1. Tim. 5.

Juve-

Juvenes & filias de conversatione cum personis alterius sexûs, de verbis factisque libidinosis examinatos oportet; quandoque etiam de arcta familiaritate, quæ inter personas ejusdem sexûs intercedit cum verborum vel factorum impudicitia (quod in sexu fœmineo non adeò rarum esse dicitur) super desideriis venereis, delectationibus obscœnis, & internâ voluntate examen instituendum est; multis enim crebrò animus est ista committere, si liceret sine infamiâ, aut saltem sine pœnâ inferni.

Neque solùm huic examini subjiciuntur, quæ juvenes aut filiæ in se patrant, vel simul cum alio; verùm & illa, quorum aliis Authores sunt, & ansam præbent; quo in genere non postremæ sunt illæ filiæ, quæ (licet castas se haberi velint) juvenum libidini deditorum consortia non fugiunt; quô fit, ut illi libidinem suam tum verbis, tum desideriis, eam nacti occasionem foveant, cupidineque suâ oblectentur; imò quædam ex hoc gloriam aucupantur, & mirè superbiunt, quòd venustate suâ, & ornamenti lenociniis juvenes irretire queant, & ad libidinem (à qua se procul

abesse autumant) illorum animos succendere.

Plura alia sunt in quovis statu, officio, opificio, &c. quæ Confessarius discere poterit tàm à peritis expertisque Confessariis, quàm ab iis integræ conscientiæ prudentiæque viris, qui istud munus obeunt, vel artem exercent, aut in iis aliquando versati sunt.

Satìs superque etiam notum est, quàm crebrò erretur in beneficiorum officiorumque tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium distributione, dum alii prorsus indignis, alii minùs dignis ea conferunt cum magno Reipublicæ quâ sacræ, quâ profanæ dispendio: quidni igitur tales Pœnitentes de hoc personarum acceptionis vitio examinentur?

Quamquam hæc imprimis necessaria sint, insoliti tamen obtingere poterunt eventus, quibus examen tanto conjungatur periculo animæ Pœnitentis, ut periculum, quod ab examine profecturum prævidetur, gravius sit altero, quod ex omissione illius nascitur; quapropter hoc eventu examen omittendum erit. Quod de insolitis dixi, facilius iis videtur futurus locus, quando Pœnitens

tens versatur in extremo vitæ periculo. Ex. gr. evenit, ut quis in vitæ discrimine versans obnoxius sit cuidam obligationi, & hujus suæ obligationis, utpotè ipsi moribundo occultæ, creditur non meminisse; & tamen ita se res habere potest, ut si Confessarius peculiare de ea, vel simili obligatione moribundi examen instituat, prospiciat illum hoc examine conjectum iri in tentationem ad mortale; cui succumberet in æternam suam perniciem; non est ambigendum, quin singularis illa inquisitio his positis prudenter intermittenda sit; magisque è re Pœnitentis erit, illum exhortari, ut detestetur peccata sua generatim, quia contra Deum sunt, vel nonnihil peculiariùs, si ita visum fuerit, illius specie peccata, quia Deum offendunt, nihil interim injiciendo sermonis de singulari illa & latente obligatione. Eô scilicet positô, quòd absque moribundi damnatione id fieri nequeat, & ex adverso, ut supponitur, existimetur, quòd obligatio ista sine peccato saltem mortali ignoretur à moribundo.

Verùm quia multi Confessarii hodiè quamcumque ferè ansam arripiunt,

quâ ad ſe trahant obligationem non inquirendi in has vel iſtas Pœnitentium obligationes, eos, quantùm poſſum, obteſtor, ut ſedulò apud ſe expendant, an fortè examen iſtud omittendo, ubi non oportet, hâc unâ omiſſione non erunt iſti moribundo cauſa æternæ damnationis.

Maximâ utique opus eſt hîc prudentiâ ac circumſpectione, nè ad dexteram devietur aut ad ſiniſtram; ſi proinde uſquam, hîc quàm maximè neceſſarium eſt, ut unctio divina Confeſſarios doceat.

Ut igitur ſummatim dicam: Confeſſarii utpotè Judicis, munus poſtulat, ut in ſtatum Pœnitentis, niſi jam notus fuerit, pro dubii ratione inquirat, tamque generalia quàm ſpecialia diſcutiat, quibus & ſedulò & prudenter peractis, ſi dubitatio nondum eximitur, necdum poteſt abſolutionem impendere, niſi in hypotheſin tertiam impingat.

Eſſent fortaſſis, qui horum occaſione importunas, exoticaſvè inſtituerent interrogationes, aut ea, quæ numquam aut vix Pœnitentibus ejuſmodi in mentem veniunt, forſan proponerent: Illos etiam atque etiam moni-

tos

tos velim, ne ad alterum deflectant extremum, examinando nimirum que prætererire oportet: ſicut etiam conſiderandum eſt, ut in pœnitentium diſpoſitionem inquirentes benè diſtinguant diſpoſitionem præſentem ab ea, quæ fortaſſis futura eſſet poſitis quibuſdam circumſtantiis. Ex. gr. aliqui habent voluntatem in præſenti firmam, abſolutam, & minimè vacillantem duella nec offerendi, nec acceptandi; qui tamen dubitare poſſint, an fortè a voluntate illa non forent receſſuri, ſi animus illorum per circumſtantias reipsâ poſitas tentaretur. Plurimùm quippe inter præſentem Pœnitentis diſpoſitionem, & poſteà futuram intereſt: hæc ſoli Deo nota eſt-illa & Confeſſario, priuſquam abſolvat, innotuiſſe debet.

DUBIUM III.

An Confeſſario liceat Pœnitentem examinare de peccatis contra caſtitatem occultioribus.

Citra neceſſitatem foret hîc verba facere de iis contra caſtitatem peccatis,

catis, quorum ſicut malitia ſatis nota eſt Confeſſariis, ita & examen inſtituendum eſſe abundè nôrunt, cujuſmodi ſunt etiam tactus impudici, verba & cantiones obſcœna, adſpectus libidinoſi, cogitationes, deſideria, voluntates v. g. hujuſmodi, nullum infamiæ foret periculum, abeſſet pœna &c. hoc iſtudve peccatum committere paratus ſum: vellem, ut poſſem impune, utinam occaſionem nanciſcar, quâ hanc meam libidinem expleam &c. Hinc ad aliud contra continentiam peccatum (quod pollutionem vocant) progredimur; hoc uti cæteris magis occultum, ita facilè periculoſiſſimum; & ſicut aliorum oculos fugit, ita in Confeſſione magna cum animarum jactura, & à pœnitente non aperitur, & à Confeſſario frequentiſſimè non detegitur: mirum enim, quàm multi hoc utriuſque ſilentio æternam incurrant ruinam.

Novit hoc veterator callidus dæmon, & ſicut in rem ſuam quibuſdam perſuaſit Confeſſariis, quòd univerſim judicare debeant ex probabili, ut vocant, Pœnitentis ſententiâ; ita & nonnullis audacem afflavit metum, quô de hoc pec-

peccato quidpiam, vel è loginquo insinuare, tàm in Confessione, quàm in Concione erubescerent. Scire cupis, quo astu? Versipellis serpens sub pudicitiæ larva incrementum addit impudicitiæ; non ignarus enim, nihil perindè ad assensum hujus peccati trahere, & inescare hominem, quàm malitiæ ipsius qualemcumque ignorantiam, hîc studium & vafritiem collocat, ut malitia ignoretur, ignorantia illius foveatur, fomento illius crescat peccandi quasi impunitas, & illa demùm æterno puniatur supplicio: si enim hujus peccati malitiæ scientiam tollis, nihil reliquum est, quod hominem ab execranda hac turpitudine avocet aut deterreat; patratur quippe sine infamiæ nota, committitur sine dispendio, & ea, quæ animum humanum ab adulterio, fornicatione, ebrietate &c. cohibent incommoda, ab hoc vitio abesse deprehenduntur. Unica est malitiæ ipsius cognitio, quæ hominem ab hoc abducere valeat: huic ne tenebras majores offunderet dæmon, Divina Providentia in Sacris litteris enormem peccati hujus malitiam exprimit, & unà in flagitio Onam illius supplicium & mor-

tem commemorat; id ipſum eſt, cujus
1. Cor. 6. reos (*molles* nuncupant) Apoſtolus regnum Dei non poſſeſſuros aſſeverat.

His præmiſſis, huc animum adverte: vetus Teſtamentum, hebraicè lectitarunt Hebræi; huic Latini addentes novum, palam omnibus illud Latino olim ſermone legerunt, & Græci græco, qui apud hos legendi modus etiamnùm obtinet: nullus igitur non audiebat, percipiebatque, quod publicâ lectione docebatur; & quod amplius eſt, imbecilliori quoque ſexui interdictum non erat, lectioni ſacrorum voluminum intereſſe, & illa volvere.

Et verò bene cum hominibus actum eſt, quòd ſacræ litteræ hoc vitium non celârint, cum plurimos invenias, quos in hujus peccati aſſenſum abduxerit ipſius malitiæ ignorantia. Quot enim numerabis inter eos, qui de peccati hujus malitiâ nihil inaudiêrunt, quot, inquam, numerabis qui turpem illam motionem nunquam ſint experti, alii ſomno ſopiti, alii vigiles, hi per vim imaginationis, illi alloquii, adſpectûs &c. occaſione? Jam verò quid ab his (qui ſat magno ſunt numero) expectandum putas, dum ſubinde

inde hujus motûs quàcumque tandem occasione illecebras experiuntur, tectamque illius ignorant malitiam? Nonnè fieri natum est, ut alii, quamquam præter voluntatem ista experti sint, in consensum posteà abeant? Alii in istam fœditatem ultrò quoque se conjiciant? Si ambigis: Interroga, quæso, Confessarios, illos præsertim, qui generales multorum Confessiones exceperunt; ab his & accipies, multos per ignorantiam in tantam consuetudinem hoc vitium frequentandi prolapsos fuisse, ut & posteà malitiam ejus edocti, ægrè admodùm se ab eo abstinere potuerint; sicut non pauci eorum nunquam adduci potuissent, ut illius peccati sordibus se commacularent, nisi malitiæ ejus inscitiâ laborantes, primùm sordes illius & commercium inchoassent. Si adhuc dubitas? Cogita, quàm multi eorum adulteria vel fornicationes, etsi nihil incommodi temporalis incursuri, committere abhorruerint eâ solùm de causa, quòd Deum his graviter offensum iri novesant; multò igitur minùs sese hoc peccato, si malitiam ejus fuissent edocti, primùm polluissent; istiusmodi quippe est

hoc peccatum, ut si compares ad illum, qui neque hujus, neque illorum culpam contraxit, sit longè minùs illecebrosum, minùsque irrîtet: quandoquidem ergò multi timore offensæ Divinæ ab istis se abstinuerint, conficitur quòd & illo sibi fuissent interdicturi.

Neque perperàm hinc edisces, quàm è re fidelium sit de hoc mollitiei peccato è suggestu tempore commodo ad illos dicere, eo nimirum modo, qui sicut in necessariam peccati cognitionem adducit, ita horrorem quàm maximum detestationemque illis incutiat. Hoc satis commodè præstabit, si veniam præfatus de illo paucis se acturum dicat, si præmittat, Evangelii, Confessionis instantis, aut alterius cujuspiam occasionem ad hujus peccati mentionem ducere, vel pro officio aut necessitate se adigi ad verba faciendum de quodam impudicitiæ peccato, quod fornicatione & adulterio (quæ septennali decennalique pœnitentiâ expiabantur olim) gravius est, authore Augustino, & detestabilius, quodque Deus
Gen. 38. legitur morte multasse in Onan, *Quod rem detestabilem faceret.*

Porrò dicat hoc peccatum istius esse gene-

generis, ut quis ſolus abſque alterius perſonæ commercio circa ſeipſum committere iſtud poſſit: ſi pluribus de hoc agere non lubet, conſcientiam cujuſque appellare licebit, ut quicunque ſalutis æternæ cupidus in dubitationem, aut ſuſpicionem vel minimam venit, num hujus peccati reus ſit, Confeſſarium conſulat, & de hoc interroget: Confeſſarium, inquam, prudentem & talem, qui ob inexcuſabiles ignorantias crimina excuſare non conſuevit.

Etiam atque etiam hîc obſervandum, quòd vix umquam integrâ concione, ſed, quoad fieri poteſt, ſuccinctim de illo agendum ſit.

Audio certatim obſtrepentes, qui reponunt: caſtæ aures, quamquam paucis de illo agatur, offendentur, & auditores, (ut aiunt) ſcandalizabuntur: quàm hoc eſt imbecillum, & tamen multos ita absterret, ut & in Concione, & Confeſſione ſe numquam de hoc peccato acturos profiteantur. Quibus reſpondeo: vel ſcandali vocabulo denotatur admiratio, & ſcandalizari (qui familiaris jam loquendi modus) idem ſonat, quod in admirationem duci, & ſtupere ad talia; nihil

hil hîc prorsùs mali, ob quod tantum intermittatur bonum: vel de scandalo strictim & cum Theologis loquuntur, hujus ne vel umbram video, si castè, paucis, & eo, qui suprà, dicendi modo, Ecclesiastes de illo egerit. Jam verò, quam plurimos ex hujus peccati cœno (æternum alioquin fortè damnandos) simili concione extractos esse testatur experientia, & plures inde raptandos sperare jubet, si plures hoc concionandi modo usi fuerint.

Non minori cum fruge, dicam & necessitate, è suggestu quandoque detonabitur in execrabilem malitiam, & plus quàm barbariem, quæ in abortu procurando committuntur; verùm sicut de intolerabili hujus sceleris turpitudine fas non est tacere; ita modos, quibus hoc peccatum committunt, enarrare, & ne alii forsan doceantur, suggerere, omninò cavendum est.

Quamquam peccatum istud non infrequens forsan esse innotuerit, cautio tamen adhibenda concionatoribus, ne id ipsum in suggestu dicant, & hoc aliudvè grave & occultum peccatum familiare esse significent: undè fieret,

ut

ut qui illi addicti sunt, minorem illius malitiam esse apprehenderent; vel alii ab eo magìs alieni, minùs illud deinceps aliorum exemplo horrerent; sed omni, quo potest modo, abominanda ipsius enormitas proponenda, & horror omnimodus incutiendus.

Verùm, quò me video dilapsum? tantum non exciderat, me non ad Concionatores, sed Confessarios verba habere; huc ergò, undè deflexi, revertor, & de hujus quæstionis in titulo propositæ argumento ita censeo: Confessarii munus prorsùs exigit, ut Pœnitentem de hoc mollitiei peccato examinet, ubi non temerè, sed meritò dubitat, nùm Pœnitens illius sit reus; hoc sanè inquinari solent complures in ætate juvenili, neque tamen ab hoc major etiam ætas immunis judicanda: quin & inter conjugatos non rarum esse hoc vitium etiam verendum est.

Methodus examinandi Pœnitentem de peccato ante-dicto.

QUò examen de illo contra castitatem peccato, illiusque instituendi Con-

Confessariorum obligatio faciliùs, quàm nonnulli opinantur, in actum deduci possint; methodum quamdam suppeditat Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis vir pietate juxta & sollicito salutis proximi desiderio illustris. Ille pro ea, quâ erat erga proximum charitate, quasdam Considerationes (ut ipse inscribit) de arte sive scientiâ audiendi Confessiones posteris transmisit, & nostro instituto apposité viam sternit huic examini faciendo consideratione sextâ: "Noverit Confessor (ita Confessarium „compellat) omnia peccatorum gene„ra, speciesque tamquàm Medicus do„ctissimus spiritualium ægritudinum: „præterea qualiter homines diverso„rum statuum, & variorum officiorum „peccare possint, nullatenus ignoret. Paucis interjectis subjicit: "Aliter „nempè, quo pacto sibi confessos pru„denter & diligenter interrogabit, in„struetque Confessor ad suorum reme„morationem criminum? Hoc maximè „est in peccatis carnis extraordinariis, „qualia expertum est, vix umquam „dici in Confessione à culpabilibus in „eis; nisi cautissimâ arte præmoneantur;

Gerson de arte sive scientia audiendi Confessiones, Consideratione sexta.

,,tur, interrogentur, capianturque: & ,,certè necesse est, ut Confessor habeat ,,artem hanc obstetricandi spiritualem ,,ad educendum colubrum talem pestiferum, tortuosum, & virulentum ab ,, anima ipsius: aut ipsa sine dubio periclitabitur & (ut crebrius) æternè ,,morietur. Nec reputo audiendos in ,,hac re eos, qui nihil interrogandum, ,,aut inquirendum esse dicunt à confessis.

Porrò consideratione nova summoperè cavendum jubet, ne Confessarius, simul atque peccatum quoddam gravius inaudivit, se admirabundum, tristem vel austerum exhibeat; "per hujusmodi namque mox claudi os Pœnitentis" existimat. Principio itaque affabilem sermonem, vultum subblandum, eumque in spiritu lenitatis (monente Apostolo) agendi exigit modum; quô pœnitenti candidè peccata sua detegendi fiat omninò fiducia. Huc non parùm facturum censet si Pœnitens subindè nonnihil laudetur à candore, quô statum suum notum facere cœpit, & conscientiæ sinum usque eò aperire.

Quòd vel maximè opportunum, quando

quando Confessarius prospicit, alia id genus peccata magìs pudenda secutura: quem ob finem exoptat, ut Pœnitens interdum submoneatur, ne quidquam celet Confessarium: neque hoc tàm alienum foret pœnitentibus, dum ex usu illorum esset, significare, nihil tàm occultum, tamque pudendum posse dici Confessario, quin istud & eo graviora, magisque pudenda jam pridem in libris lectitârit; hoc autem tum opùs est dicto, dum Pœnitentem magno pudore, quô minùs singula percenseat, præpediri comperit; quod sæpenumerò in more positum junioribus; & in his præsertim alteri sexui.

Consid. duodecima. "Procedat subjicit Gerson, Confessor „in inquisitione peccatorum & specialiter peccati carnalis (quod à multis cum „summa difficultate vix potest extorqueri) primò pedetentim, & à generalioribus incipiat, & quæ nullam aut paucam videantur includere culpam". Nihil sanè hâc utilius methodo.

Posteà Consideratione quintâ decimâ: "Sciat Confessor generalitates „esse has & similes: Fuisti umquam „in societatibus famulorum aut socio-

rum?

„rum? Et specialiter, cum ipsis in le-„cto? Si sic: Audivisti umquam ma-„lum (ut sæpè fit) loquendo sibi de „impudicitia & mulieribus? Si sic: Lo-„quebaris tu similiter, & si mala desi-„derabas? Et si sic: Utrùm voluerit „umquam, quòd tangeres eum inho-„nestè, vel ipse te? Si sic: Fiat pro-„cessus ulterior sub velamine tali, quod „intelligat, an commissa fuerit ibidem „mollities sive pollutio: & hoc pecca-„tum (inquit) benè committitur antè pubertatis annos".

Rursum Consideratione decimâ sextâ hoc adjicit monitum: "Nec aspi-„ciat fixè vultum Pœnitentis Con-„fessarius in ista pudenda inquirens; „sed divertat Confessor vultum suum, „quasi non curans dicendo, Ego benè „video, tu fecisti sic & sic: consequenter dic ergò totum". Consid. decimâ. sextâ.

Post hæc Consideratione decimâ septima, examinis hujus necessitatem adstruit. "Utinam, inquit, mala à pue-„ris, & aliis tam diligenter confiteren-„tur, quàm sciuntur & aguntur ab „eis: nec inquirenda esse judicamus, „quasi nesciant, sed quia fortè eâ non Consid. decimâ septimâ.

„ tam gravia esse credunt, quanta sunt
„ apud Deum, aut quia aliter nolunt
„ manifestare ea: attamen in hoc casu
„ debet cum summa detestatione pec-
„ catum tale damnare;, quasi non cade-
„ ret etiam in hominem, tale aliquid
„ agere. Quod postremum utì fortiter,
„ ita & suaviter, dicendum.

Consider. decimâ-nonâ. Et denique Consideratione decimâ nona loquitur in hunc modum: "Con-
„ gruit prout expertus sum, quòd par-
„ vuli adolescentes masculi priùs inter-
„ rogentur modo dicto de cohabitatione
„ sociorum & famulorum, tamquam
„ de his quæ primâ facie minùs hor-
„ rent quia minùs insolita sunt: post-
„ modùm quæratur de cohabitatione
„ mulierum, & primò si umquam in
„ ætate quinque, sex, septem annorum,
„ vel eòcirca jacuerint cum ancillis,
„ sicut mos est puerorum, & hîc con-
„ formiter inquiratur ad prædicta; &
„ certè, inquit, reperientur horrenda.
„ Et prosequitur: consequenter inqui-
„ rantur, non solùm de ancillis, sed
„ etiam de genere proximiori, ad qualia
„ non descendatur, nisi quasi subitò &
„ à latere, dicendo sine mutatione vul-
tûs:

„tûs : ô bone ! video quòd similiter fe-
„cisti cum talibus & talibus &c".

Neque hæc Gerson solus observavit, verùm & S. Franc. Salesius, qui Epistolarum lib. 1. Epist. 5. hujusmodi peccata omni solicitudine cavenda commonet numero 5. "Intereà cave, nòn solùm
„illi; verùm & sororibus ejus, ne dor-
„miant, nisi soli, quoad fieri poterit, aut
„cum aliis, quibus possis tantùm meritò
„confidere, quantùm tibi ipsi. Incredi-
„bile est, quàm utile sit hoc consilium,
„experientia mihi commendandum in
„dies singulos reddit". Fœminis faciendæ sunt interrogationes priùs de cohabitatione mutua secum, hoc est, principiò petendum judicat Gerson, an habitent cùm aliis puellis, & alia consimiliter dictis suprà persequatur, & post hæc, nùm habitent cum personis alterius sexûs.

In Confesso est, quod modus ille, quem depingit Gerson, gradum faciendi à generalibus ad peculiaria, à minùs fœdis ad fœdiora, & (quod ait Consideratione decimâ octavâ) à caussis ad effecta, perquam opportunus sit non solùm examinando peccato mollitiei, quod cùm altero patratur, sed & in- Confider. decima-octava.

 qui-

quirendo in illud, quod quiſpiam ſolus committit ſecum. Commodè igitur hâc ſerie examen iſtud inſtituetur, ut primò de cogitationibus, delectationibuſque venereis examen fiat; ſecundo loco de aſpectibus, obſcœnis librorum lectionibus, ſermonibus cantionibuſque quæratur; poſt hæc in commotiones indè ſecutas, quæ plùs ſatis frequentes accidunt procantibus, inquirendum erit. Poſtremùm de ſui-ipſius contactu examinandus erit pœnitens.

Conſid. vigeſimâ. Quod Conſideratio vigeſima complectitur, argumenti hujus Epilogum facit: " Reprehendet, ait, fortè aliquis ,,audaciam hanc Confeſſoris, qui talia ,,præſumit aperire, quæ vix credibilia ,,ſunt, & ferè incogitabilia, niſi ab expertis, aut aliundè doctis: ſentiat ,,aliquis, quod voluerit, ego coram ,,Deo teſtor, me plures talibus remediis induxiſſe ad Confeſſionem, qui ,,fatebantur, numquam etiam in articulo mortis fuiſſe talia dicturos cuicumque; laudabant tamen Deum ,,totis viſceribus gratias agentes, quòd ,,ita ſe aperuerant. Quidam & pauciſſimi retroire volebant aliquando, ſed tan-

„tandem rediêrunt fatêntes illusionem „esse dæmonis, qui claudere os semel „apertum rursùs satagebat; alii jam Con- „fessi, propter omissionem hujusmodi „interrogationis rursùs ad confitendum „inducti, apertum mihi fecerunt indi- „cium, quod necessaria sit hujusmodi inquisitio".

Ne desiderari hîc videatur, quî conjugum examen instituendum, paucis perstringam modum, qui me quidem judice non importunus fuerit: Dicet Confessarius, quid Conjugibus per leges Matrimonii liceat, & tùm quæret, nùm illius limites transgrediantur; Quod fit, dum peccato mollitiei obnoxii sunt, & subindè aliis, quæ sedi confessionali, quam libello huic, meliùs committuntur.

De crimine procurantium abortum facilè fit examen petendo, dum aliquis vel aliqua se accusat adulterii aut fornicationis, an sit periculum prolis indè nascituræ: si dicant non esse, ulteriùs est quærendum, undè id sciant: hinc enim patescet, an fortè abortum procuraverint, aut fortassis factum Onan hîc intervenerit: vel an sit alia causa, cur non fiat conceptio.

Hisce dictis Adversari videbuntur nonnulla hujus Diœcesis Mechliniensis tùm generalia in Pastorali, tùm peculiaria alibi ad Confessarios monita: ad illa, quò dilutiùs respondeam lubet verba in medium proferre. Pastorale quidem sic habet: " Sed caveat, ne curiosis „aut inutilibus interrogationibus quempiam detineat, præsertim juniores „utriusque sexûs, vel alios de eo, quod „ignorant imprudens interrogans, ne „scandalum patiantur, indèque peccare discant". Aliud monitum hæc sonat: " Imprimis monentur seriò omnes „& singuli Confessarii, ut parcè, castè, „& valdè cautè interrogent circa peccata carnis, non solùm quando virgines habent confitentes, sed etiam „quando conjuges aut quoscumque cælibes".

Ex his forsan quidam conficerent, nihil de illis examinandum esse, sed perperàm arguunt, & veriùs illi, qui necessarium de peccatis carnis examen ex his verbis (in monito præsertim speciali) statuunt; nisi enim " interrogare circa peccata carnis" necessarium censeretur, dictum foret, non interrogent; at

at positâ istarum interrogationum necessitate, interrogatos oportet, sed *parcè*, hoc est, non curiosis aut inutilibus interrogatiunculis utantur: *castè* jubet illos interrogare, ut omnis prorsùs impudicitia non dumtaxat ab animo interrogantis secludatur, verùm & à verbis, quoad fieri potest, & interrogandi modo: hinc & *cautè*, ne imprudenter nimirùm interrogati, scandalum patiantur, quod est, indè peccare discant; atque hæc *parcè* iterum, ut parcatur omnibus, quæ amor salutis proximi non postulat.

Repones equidem, si hoc passim juxta jam dicta examen instituatur, fortè interdum accidet, ut aliquis occasionem istud peccatum committendi indè arripiat. Ob hujus periculum illud non omittendum docet Spiritus S. suo exemplo, dum in utraque Scripturæ pagina illud exprimit: equidem, quid certiùs quàm generatim dici quidpiam posse tam in Concione, quàm in Confessione, etiamsi alicujus periculum timeretur, modò ex manifestatione bonum incomparabiliter majus promanet, & ex silentio periculum multò maximum.

QUÆSTIO II.

Quos designat Sanct. Carolus periodo consequente cap. eod. *Sed nec illos (absolvere possunt) qui quamvis asserant, peccatum se velle deserere; tamen unà dicunt videri sibi, non se commercium illius esse relicturos, nisi ea velint remedia apponere sine quibus Confessarius judicat ad vomitum redituros.*

SAnctus Carolus ad aliud pœnitentium genus gradum faciens, asserit absolutionem non impertiendam quoque iis, qui peccatum valere jubentes, unà dicunt se timere, ne commercium peccati non relinquant; nisi velint ea remedia apponere, sine quibus Confessarius judicat, eos ad vomitum redituros.

Neque

Neque tamen, simul atque volunt, absolvendi sunt, plurimos enim comperias, qui ea velint apponere, quorum alii non dolent de præteritis, alii futura cavere non firmiter statuunt: ipsâ enim certitudine id certius est. Quòcirca hæc intellecta oportet, si examine præmisso satìs dolere de non committendis deinceps statuisse judicantur.

Cùm hi ultrò dicant se timere, ut commercium peccati relinquant, Confessarius, ut officii sui partes, adimpleat, examen instituere & inquirere debet, an supersint vitiorum, tum radices, tum reliquiæ, è quibus nascatur periculum, ne in pristina relabentes ad vomitum redeant. Imò etsi Pœnitentes non dicerent ultrò, se tale quid timere, sunt tamen super istis examinandi, quando Confessarius habet justam rationem timendi, ne supersint aliqua, ex quibus nascitur recidendi periculum. Redeo ad S. Carolùm, qui hujusmodi pœnitentes asserit non absolvendos, "nisi ea velint remedia apponere": nec immeritò, quia interpretativè volunt relapsum, si illa adhibere renuant, sine quibus judicat prudens Confessarius eos relapsuros.

Porrò, non una relapsûs, item & periculi causa numerari potest, sed aliæ in aliis reperiuntur, quarum plurimas hîc brevibus perstringam.

In capite colloco consuetudinem otio diffluendi; & vitam degendi delitiis commoditatibusque refertam, quæ consuetudo quosdam, qui se impudicitiis dederunt, ita intrîcat, ut si in illo otiandi & deliciandi more perseverent, brevi sint ad vomitum redituri: hi proindè non absolvendi, nisi otio & deliciis dicant vale.

Consuetudini adnecto pronitatem, seu quamdam animi propensionem à peccatis antè commissis adhærentem, notaturque non raro in iis, quibus in consuetudinem abierat, in rixas prorumpere, jusjurandum irreligiosè effutire, ebrietatibus & libidini se dedere, undè in peccata ista (utî supponitur) adeò inclinantur, ut illa propensio ipsos ad peccata mortalia mox reductura sit, nisi & contraria pietatis exercitia opponant, quæ si ex Confessarii imperio adhibere noluerint, non sunt absolvendi.

Neque omninò insolitum, ut simile periculum impendeat quibusdam à cor-

poris

poris temperie, quæ utì in hisce est melancholica, in illis cholerica, alios ad animi dejectionem, alios in iram, alios in alia, quæ ex illis originem ducunt, peccata proclives reddunt: naturam hanc expellant furcâ, tum generalibus adversùs peccata, tum peculiaribus à Confessario suggerendis mediis.

Non minima quoque causa est, quam hoc loco constituimus, & tantò quidem periculosior, quantò minùs homini nota, immoderati videlicet quidam ad res indifferentes affectus, vel ad eas quidem, quas diligere oportet, at moderatè: ab hisce affectibus formido ingruit potissimùm, quando foventur in istis circumstantiis, in quibus assidua fermè lucta has affectiones inter & mandatorum Dei observantiam exurgit. Exempla plus satis occurrunt, suntque, dum immodico zelo quis honori suo studet, & illic moratur tamen aut vivit, ubi honoris sui discrimen, aut imminutionem adire sub mortali frequenter peccato adstringitur.

In eâdem fermè navi sunt Parentes, qui liberos indulgentiùs habent, eosque tenero nimiùm prosequuntur amore,

illos,

illos, ſcilicet quos ſub graviore culpa ſæpè-ſæpiùs corripere oportet; adeò quidem, ut gravis ſit injecta illis obligatio coram Deo, pravos talium liberorum motus reprimendi, affectiones ebullientes compeſcendi, illorumque motibus contraeündi duris inſolitiſque & ſeveris mediis: periculo, inquam, illos exponit hic amor, ne conniveant fortè, & ſuo deſint officio.

Non multùm ab his diſtant, qui amicitiam, quam cum Magnatibus iniërunt, maximi faciunt vel ſuam vel ſuorum indè utilitatem aucupantes; hoc ſcilicet poſito, quòd iſti poteſtate valentes eâ ſint indole, ut ſæpè-numerò multa ob amicitiam poſtulaturi ſint, quæ ſibi negari poſſe minimè arbitrantur; illi verò, qui cum Magnatibus iſtam amicitiam contraxerunt, facilè vident, quòd per juſtitiam diſtributivam, virtutemvè Chriſtianam non licet ipſorum petito facere ſatìs. Huic periculo, quò magìs appareat, accedit, quòd in illos cadet frequenter ſub gravi culpa carpere Magnatum mores vitamque, & hoc facere nequibunt, niſi incurrant illorum indignationem, quam tan-

tantoperè exhorrescunt : hi omnes, ut ponitur, in periculo propinquo mortalis relapsûs versantur ob immoderatos affectus ; debent proindè illos aut tollere aut redigere ad mediocritatem : si nolint, absolvi nequeunt. Interim media necessaria iis proponenda sunt.

Præterea relapsûs futuri periculum oboriri potest ab extrinsecis, quæ pœnitentem ad peccatum aliàs pellexerunt, & in illud præcipitârunt : cujusmodi sunt locus, domicilium, sodales, oppidum & his similia, quibus homines velut inescati, quasi hamo capiuntur. Si ita se res habeat, hisce se extricet, si peccati pœniteat, & oculum quidem dexterum, si scandalizarit, pœnitens eruat & projiciat abs se ; aliàs non absolvendus.

Et denique fieri potest, ut alii aliis recidivæ sint propinquiores, quòd generalia adversûs peccatum remedia negligunt, neque contra istud & illius suggestionem satis se communiunt : arma sunt oratio, exercitium fidei, vigilantia, & ejusmodi, quæ Sacra Pagina tàm sedulò ingeminat, & eum ob

ob finem nobis proponit: quod hîc de mediis generalibus dico, tantò admittes faciliùs, quantô accuratiùs expenderis, quàm longè plura sacris in litteris à nobis exigat Deus, ut perseveremus, quàm communis languidorum tepidorumque ferat opinio.

Varia Divinæ veritatis oracula, quibus ostenditur ad perseverandum multis opus esse.

LOca ista textu continuo subnectentur, quò verbi Divini veritas percipiatur manifestiùs.

Lucæ 13. *Contendite intrare per angustam portam* (inquit Christus) *quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.*

Marci 13. *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

Lucæ 21. *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.*

Lucæ 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Quòd

Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Matth. 5.

Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. 1 Thess. 5

Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia vestra in charitate fiant. 1 Corin. 16

Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. 1 Petri 5.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Galat 5.

Qui utuntur hoc mundo, tamquàm non utantur: præterit enim figura hujus mundi. 1 Corin. 7

Nemo potest duobus Dominis servire ..... non potestis Deo servire & Mammonæ. Matth. 6

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1 Corin. 10

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem; sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum. Ephes 6.

Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergò succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: Ibidem.

in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium Spiritûs (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia.

1. Cor. 9. *Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis: omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam: Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

2. Tim 2. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitimè certaverit.*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quos tertiâ capite 15 periodo complectitur Sanct. Carolus: *Est præterea consultum absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicant ac polliceantur, quòd se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat?*

CAusa hujus metûs, qui Confessario relinquitur, hinc proficisci potest, quòd Confessario non satis exploratus sit status Pœnitentis circa pecccata præterita, hoc est, non satis innotuerit dolor, sive detestatio peccati commissi.

Aliundè præterea manat metus, quòd periculum denuò labendi persentiscat, hoc est, dubitet de relapsu forsan secuturo. Si prius, nulla superest

difficultas, juxta quippè Hypotheses tertiam & quartam absolutione frustratur. Reliquum sit igitur, ut expendamus, quid censendum, si è posteriori fonte metus scaturiat; si, inquam, Pœnitens Confessario probabilem facit metum, quòd non eximet se à peccato deinceps committendo. Hunc difficultatis nodum secundum & tertium hujus Quæst. Dubium enodabunt.

DUBIUM I.

Quid de exemplis, quæ S. Carolus hic subjungit, censendum?

„EX hoc genere, inquit S. Carolus, „esse solent plerique adolescentes, „qui in otio vitam agunt, qui luxui de„diti crapulam & amores inhonestos „sequuntur, qui libidinibus pascuntur, „verba obscœna proferunt, murmu„rant, in odiis ac detractionibus ver„santur quotidie, & Confessionem differunt in ultimos quadragesimæ dies". Ex quo, inquies, genere? Quis ambigat esse eorum in genere, quibus omninò differenda absolutio? Neque enim solent homi-

homines iſtius farinæ repentè ita converti, ut ex animo, eoque, quo debent, modo peccata ſua deteſtentur; longiùs adhuc abeſt, ut tempore tam modicò firmiter in animum inducant ſuum, nullo umquam tempore peccata illa iterare, aut aliquod his ſimile mortiferum perpetrare. Quis enim neſciat hâc ætate lubricâ homines à propoſito iſto per conſuetudinem revocari, vitiorum, quibus dediti fuerunt, illecebris impediri, & ab occaſionibus quotidianis in contrarium agi? Quid? Hujuſmodi peccatores majori ex parte delictorum iſtorum malitiam vixdum noverunt, & quod pejus, illo ipſo tempore, quando Confeſſarii tribunal ſubeunt, non mediocris frequenter ipſis eſt ſalutis incuria.

Horum quoque converſioni inſufficiens eſſe ſolet ſeria Confeſſariorum, quanta quanta eſt, monitio aut increpatio: quâ tamen adhibitâ rem optimo eſſe loco, non ſolùm iſtorum Pœnitentum, ſed & quorumdam Confeſſariorum error eſt: Donum quippè veræ & intimæ converſionis, quod Deus gratuitò dat, quibus dat, non concedi ſolet tam ſubitò, & iis quidem, qui ſicut procul ab eo aberant,

erant, ita nihil aut valdè parum operæ impenderunt, ut istud ab offenso Deo impetrarent.

Quapropter illis differenda est absolutio, ut eo pacto mentem advertant, quid commeruerint, & quomodo veniam obtineant; atque injungendum interim, ut precibus, operibus pœnitentiæ, aliisque pietatis ac virtutum exercitationibus, atque imprimis iis, quæ consuetudini pravæ adversantur, sese ad sinceram conversionem disponant.

Quàm hoc veritati & pœnitentum saluti consentaneum sit, faciliùs intueberis, si tantisper lubeat expendere testimonia divinæ veritatis, quibus palàm fit, quid Deus ad veram conversionem eorum etiam, qui se ab ea minùs elongârunt, requirat, & quantò plus laboris, & suspiriorum, quàm communis fert hominum opinio exigatur. Priùs verò, quàm ad ea digrediar, observandum, quòd istud responsi ad exempla S. Caroli accipiendum, veluti ordinariè accidit: secùs enim, si mors immineret; an & alii excipiendi casus, docebit Dub. 14. quæst. 4.

Loca Scripturæ sacræ, quæ docent veram conversionem tantâ non acquiri celeritate & facilitate, quantâ hodie vulgò creditur.

EZechiëlis cap. decimo octavo Deus peccatori hâc lege veniam spondet: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur.* Rogo, languidi ut sunt hodiè plurimi; quando hæc præstant? *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum,* (inquit Moyses) *invenies eum:* at subjicit: *Si tamen toto corde quæsieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Soletnè hoc illicò fieri ab iis præsertim, qui hactenùs nîl præter terrena sapuerunt? Ast audire mihi videor, qui reponat, id abundantiori gratiæ novæ Legis acceptum ferendum, ne hæc te spes deludat, audi Apostolum: *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur:* quibus addit: *Ecce enim hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed*

Ezec. 18.

Deut. 4.

2. Cor. 7.

æmulationem, sed vindictam. Quàm rarò, quàm difficulter hæc breve intrà tempus fieri, videre est! quis ista vel in speciem comperiet in iis, qui pauculos ante dies; quid? Pridiè aut breviùs non Deo, sed mundo militare; non cœlum sed solum ambire, corporis solliciti, animæ incurii satis superque videbantur. Profectò, si Scripturæ credimus, non solùm adhuc pœnitentiam præcipit, verùm identidem intonat; *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Cui consimile illud S. Lucæ: *Si quis veniat ad me*, inquit Christus, & *non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Si discipulis Christi annumerari nequit, qui hæc non præstat, neque justis poterit, juxta id quod eadem veritas: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Quis ausit asserere, quod peccatores, ii præsertim, qui multis peccatis mortalibus contaminati sunt, aut admodùm gravibus, citò ad tàm sublimia, quæ Christus hîc postulat, enitantur? Multò igitur tam labore, quàm tem-

Matt. 3.

Lucæ 14.

Matt. 10.

tempore iis opus esse solet ad veræ justificationis dotem adipiscendam.

Hoc ut animis nostris altiùs infigat Salvator noster, duplici utitur similitudine; alterâ quidem, ubi ait: *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus* (nota, *sedens computat*: quod ait, *sedens*, moram & quietem; quod, *computat*, singula & universa penitùs expendenda designat) *qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne postea quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?* Alteram verò instituit, inquiens, *Quis Rex iturus committere bellum adversùs alium Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.* Conclusionis loco hæc verba: *Sic ergò omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quod in ista, *turrim ædificare*; id in hac, *bellum committere* denotat, scil. militiæ Christianæ nomen dare, hoc est, munia discipulorum Christi obire, seu justitiæ Christianæ vitam vi- Luc. 14.

 vere.

vere. Nonnè Divinus ille magister geminâ hâc similitudine graphicè adumbravit, quanti ista sunt laboris, quamque ardua, si quis peccato mortali à Christo, Antesignano suo defecerit? Est profectò, quòd omnes nervos quis intendat, omnemque curam & cogitationem eò transferat, ut animum creaturis immodicè amatis agglutinatum ab illis avellat, & Creatori adfigat: quantum conatum, quas preces, quot horarum moras, quas denique præparationes oportet illum adferre, qui in vitiorum avia non fallente etiam ignorantiâ, nulla impellente passione declinavit, & lubens volens peccatorum viam relegit!

DUBIUM II.

Vtrùm Confessarius, priusquam Pœnitentem absolvat, debeat scire, quòd Pœnitens ultrà non committet illud peccatum mortale, à quo modò absolvitur?

DIxerit hoc ille, qui à Confessario postulandum putat, ut nôrit datum Pœnitenti magnum perseverantiæ

donum,

donum; ut enim hoc nôsse ipsi datum non est ita nec illud; poteſtque is, quem modò verè pœnitet, non ſolùm in alia poſt Confeſſionem absolutionemque peccata labi, verùm & in idem relabi, iterumque ab illo ſurgere & denuò relabi. Tantùm abeſt igitur, ut ſciat, quod petitur, ut ne quidem poſſit citra divinam revelationem.

Notatu dignum, pœnitentibus ſeriò converſis faciliùs relapſum poſſe accidere à tentatione graviori & inſolita: quòd id verum ſit de tentatione graviori, omninò clarum eſt.

Sed hùc, inquies, nihil facit, quòd tentatio ſit inſueta ſeu extraordinaria: quid enim, ſi quis tentationes admodùm graves habere ſolitus fuerit? Reſp. tentationes inſolitæ minùs prævidentur; quarum deindè occaſione etiam juſti, ceteris paribus faciliùs juſtitiâ excidunt.

Hujus rei duæ potiſſimùm cauſæ pandentur: intellectum concernit altera, altera voluntatem: intellectus namque non ſatìs expendit inſolita, nec ſpeciatim conſiderat ea, quæ his cavendis idonea ſunt; tùm quoque voluntas, partim ob præeuntes in intellectu de-

fectus, partim quia adversùs insolita se armare non consuevit, minùs strenuè illis resistit, atque adeò, dum illa ingruunt, faciliùs succumbit. Hinc fit, ut qui vivunt genus vitæ subitaneis insolitisque eventibus obnoxium, magìs periculo lapsûs exponantur; prout & illi, qui vel ex naturali temperie vel ex imbibita consuetudine motibus vehementioribus inconstantioribusque sunt præ aliis magìs expositi. E quibus clarum evadit, quod nulli citra revelationis arcanum innotescat, num ritè conversus, non sit denuò in illud, quod illi modò remittitur, casurus peccatum.

DUBIUM III.

An possit absolutio ob quoddam periculum relapsûs quandoque differri?

INdubiè hoc asserit, & studiosè inculcat S. Carolus verbis Quæstione tertiâ allegatis. Verùm reponat quis: Pœnitens non erit verè conversus, vel erit. Si prius, dictum potiùs oportuit, quòd propter absentem debitam conversionem sit differenda: si posterius, differri nequit, quod

quòd nullam verè conversis utilitatem pariat absolutionis dilatio. Quod ad primam objectionis partem attinet, adsentio; quid ad alteram respondendum, affatim docet experientia, negatque omninò multiplex dilationis utilitas, quam & verè conversus indè consequitur. Pœnitens namque ob dilatam absolutionem magìs apprehendit, penetratque peccati sui turpitudinem & enormitatem, atque hâc ratione magìs sollicitè fugit horretque vehementiùs relapsum: morbi quippè, quô curantur tardiùs, exosi sunt magìs, majorique caventur solicitudine: quemadmodùm quis cavet impensiùs offensam, cui difficiliùs tardiusque ignotum iri nôvit. Hoc & Parentibus & Superioribus familiare est, ut à filiis aut subditis offensi conciliationem differant, & seriùs in gratiam, puta externam, cum illis redire velint, quô ipsi, quod deliquerunt, magìs magìsque expendant: neque hoc à Deo alienum, qui hominem, D. Augustino teste, idcircò tardiùs sanat: "Quis, inquit non intelligit animam luctantem cum malis suis, diu autem dilatam à Medico, ut ei persuadeatur, in quæ mala peccando se præcipita-

Aug in Ps. 6 ad illa verba: Usquequo?

cipitaverat" ? Quibus addit : Quod e-„nim facilè ſanatur, non multum cave-tur" : Liceat & mihi hunc in modum arguere, non magni æſtimatur, quod citò impetratur; ubi ex oppoſito deſideria dilata creſcunt, & rei deſideratæ æſtimationem augent: non parùm igitur augetur reconciliationis æſtimatio, dum illius defferetur collatio.

Huic accedit & id utilitatis, quòd abſolutione dilatâ Confeſſarius eo temporis intervallo penitiùs cognoſcet pœnitentis ſtatum, & exquiret media ad ſalutem ejus promovendam opportuniora: quidni, ad humiliandum pœnitentem ſubindè conſentanea ſit quibuſdam & perutilis abſolutionis dilatio? Mitto omnia quæ conſideranda ſunt, hîc perſequi, ut ſi quod eſt relabendi periculum, avertas, apta præſcribas antidota, & alia quæ tàm modico tempore expendi ſæpè nequeunt: prætereo obligationes reſtituendi, ſcandala reſarcienda, & his ſimilia, quæ tantillo tempore vix trutinari, nedum prudenter & proficuè decîdi queunt. Pone inſuper, quòd recidendi periculum videatur ſat propinquum, neque huic occurri (iis circum-

cumſtantiis) poſſit medio æquè vel magìs opportunò, quàm differendo abſolutionem; quidtùm cenſebis? Vel certè, quid, ſi adſint illæ circumſtantiæ, ut abſque ſcandalo, quis nequeat tàm citò abſolvi, uti fieri poteſt in peccatore aliquo publico?

QUÆSTIO IV.

Quos complectitur S. Carolus His verbis: *Idem faciendum eſt cum iis (ſcilicet ut differatur Abſolutio) qui cum multos annos in peccatis ſuis perdurant, nullâ interim adhibitâ operâ in emendationem vitæ, in eadem peccata iterum atque iterum labuntur?*

Tria hîc conſiderentur, oportet: primum quidem, quòd illi, quos dictis verbis denotat S. Carolus, ſint recidivi; alterum, quod illorum recidiva

ceu

ceu relapſus eveniat nullâ in emendationem vitæ operâ adhibitâ ; poſtremum, quod recidiva ſit conſuetudine firmata. Ad primum quod attinet ; Quæſt. ſuperiori Dub. ſecundò monſtratum eſt, quòd aliquis impræſentiarum ritè converſus eſſe queat, quamvis contingat illum in id, cujus pœnituit, poſteà relabi peccatum ; quare ex recidivâ perperam argues generatim, quod is antè non fuerit verè converſus ; etſi in multis rectè : eſto igitur.

DUBIUM I.

Quiſnam relapſus eſt ſignum, quod præteritâ converſio non ſuffecerit?

QUæſt. ſecundâ & tertiâ quæſitum fuit, quo pacto Confeſſarius ſe gerere debeat, dum relapſum ſive recidivam, poſtea ſecuturam formidat ; verùm hoc dubio quæritur, quid judicii ferendum de converſione, quæ recidivam anteceſſit.

Reſp. Vera converſio verùm includit odium peccatorum mortalium, quæ ante patrata ſunt, ac proindè firmum

&

& absolutum, mortale posthâc numquàm committendi propositum: firmum quidem seu nequaquam vacillans, quodque amplius sit quam velleitas: & quô mortalia non unâ dumtaxat occasione, sed omni protsùs, neque tempore præscripto, sed æternùm pœnitens vitare proponit. Si ad hoc propositum ventum fuerit, præstabit illud unà, ut adhibeantur media, quibus ad istum finem prudens Confessarius opùs fore judicabit: efficiet proindè istud propositum, ut occasiones rescindantur; tritum quippè est, quisquis candidè & efficaciter petit finem, necessaria, quibus illum consequatur, media impendit: ex opposito igitur, qui post Confessionem media, quæ prudens Confessarius censet esse necessaria, non adhibuit, vel occasionibus, quas judicarat fugiendas, se non subduxit, hic sincerum & efficax propositum non habuisse, frequenter censendus est.

Idem esto judicium, si Confessarius nullam mediorum occasionumvè mentionem fecerit; modò interim sint ejusmodi, quæ similibus in circumstantiis nota talibus personis esse debuerant.

Verùm

Verùm quid, si ea media fuerint quidem, sed ad tempus solummodò usui pata? Quid deindè, si ad tempus tantùm vitatæ fuerint occasiones, atque ita postmodùm pœnitens hic neglectis demùm reciderit? Tum poterit antè quibusdam in circumstantiis verè tamen conversus fuisse judicari; quocirca æqum fuerit examinare, quamdiu ista servata? quantum in illis servandis difficultatis? quænam istâ negligendi oborta occasio? quanta denique criminis enormitas? quô enim breviori servata tempore, quô, ut servarentur faciliora, quô minor ad negligendum tentatio, quô peccatum majus, eò suspecta magìs conversio præcedens habenda, illud enim, quod jam descripsimus, peccati odium & emendationis propositum veræ conversioni necessariò conjunguntur; hæc autem non istius sunt generis, quæ tàm facilè mutari solent, quoniam sunt ea de re quam maximi æstimat, quisquis verè convertitur; quôque graviora sunt peccata, eô difficiliùs atque ægriùs mutationem istam fieri, & ad illa peccata rediri, clarum est.

DU-

DUBIUM II.

An post relapsum majora sint postulanda pœnitentiæ signa?

Ex iis, quæ suprà dicta sunt; satis superque notum est, magisque apparebit infrà, relapsum luculentèr quandoque arguere, quòd recidivus non fuerit anteà verè conversus, & tum citra dubium postulanda sunt pœnitentiæ signa majora prioribus; ubi hæc modò fefellisse deprehenduntur: ostensum ibidem est, recidivam non continuò sufficere, ut conversionem ante-actam falsitatis condemnet Confessarius. Hujus itaque quæstionis argumentum est, num & tunc majora prioribus exigenda pœnitentiæ indicia: Jure merito majora postulantur; præsertim si crimen fuerit enorme: veluti enim infirmus, quia iterum, iterumque morbo quopiam corripitur, ægriùs sanitati restituitur, ita peccator recidivus, (dum cæterorum par est ratio) difficiliùs convertitur.

Huic accedit, quòd ipsum peccatum

per circumſtantiam relapsûs, gravius fiat; quippè peccatorem debuerat præcedens lapſus cautiorem reddere, magiſque ſollicitum, ut adversùs peccatum, quantùm oportuerat, ſeſe præmuniret: Relapſus igitur & potiſſimùm in crimen grave deteriori loco, atque antè fuerat, peccatorem collocavit. Hiſce confirmandis perquàm idoneum eſt,
Luca 11. quod Chriſtus apud Lucam: *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam, tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreßi habitant ibi: & fiunt novißima hominis illius pejora prioribus.* Quid igitur de iis, qui ſæpiùs in eadem relabuntur peccata?

Huc quoque facit, quod hominibus, ex. gr. Superiori, Parenti &c. à natura comparatum eſt; ut quis à ſubditis aut filiis poſt reconciliationem denuò graviter offenſus majora petat pœnitentiæ ſigna, præcipuè ſi offenſæ ſæpiùs iterentur. Quod in Superiore ratum habent & laudant, quod Parenti non vitio ſed honori, atque ubi de enormi crimine

mine agitur, prudentiæ non mediocri omnes vertunt; hoc Confessario, qui Superioris, Parentis, &c. vicem agit, nemo non dederit laudi, & tantumdem ut minimùm in Christi causâ ab eo præstandum judicet, quantùm in sua præstiturus convincitur.

DUBIUM III.

Quo pacto agendum cum pœnitentibus recidivis de Confeßionibus & Communionibus anteactis, si deprehendatur, quòd vera illas non præcesserit conversio?

Confessiones & Communiones, quæ durante consuetudine recidendi peractæ fuerunt, plerumque tanquam sacrilegia confiteri oportet, manetque præterea arcta obligatio denuò confitendi peccata mortalia; quæ quis malè confessus fuit, hoc est; præter Confessiones & Communiones mortiferè sacrilegas, illa quoque mortalia, quæ obtinente relabendi consuetudine, confessus est; de integro confiteri oportet. Dico, consuetudine recidendi durante, nihil enim impedit, quô minùs ante il-

lam ritè confessus fuerit: quin & hoc fieri nonnumquam potest, ut post illam relabendi consuetudinem quædam Confessiones Communionesque notabili pòst tempore secutæ, rursum fuerint ritè peractæ.

Objecerit quispiam: Confessiones illas, nec non Communiones, quæ durante consuetudine contigerunt, sacrilegii loco habendas. Cui respondeo, quamquam ita se res habeat, equidem obligatio, quæ diversis è factis occasionem ducit, potuit procedente tempore, & factorum oblivione, & faciendorum ignorantiâ contegi, ut pœnitens posteà in bona fide fuerit, atque adeò minimè necessum, ut confessiones secutæ semper fuerint invalidæ.

Non malè hinc intuleris, quandoque posse accidere casum, quô Confessarius non adstringitur, pœnitenti significare obligationem, ut confessionem instituat generalem, tametsi hanc obligationem in ipso Confessarius revera cognoscat; quandò scilicet pœnitens imprimis in bona est fide, & simul hujus obligationis significatio foret ipsi mortaliter delinquendi occasio, si etiam advertat pœnitentem jam conversum, & in bona con-

constitutum fide neutiquam adductum iri, ut Confessionem instituat generalem: tribus his positis Confessarius poterit supradictam obligationem subticere. Similitudo ampliùs illustrabit: quàm sæpissimè satiùs est occultum impedimentum dirimens, quòd inter conjuges putatitios deprehenditur, non aperire, quandò illi in bona versantur fide, & illius impedimenti manifestatio ipsis foret in ruinam: quod amplius est, hujusmodi impedimentum vix est umquam priùs detegendum, quàm in eo dispensatio fuerit obtenta.

Verùm enim verò quia obligatio ad confessionem generalem quàm rarissimè tanta involuit incommoda, quanta conjugum separatio, indè multò infrequentiùs subticenda est obligatio generalem instituendi confessionem, quàm conjuges separandi; immò significanda ut plurimùm est obligatio, quæ ad confessionem generalem adstringit, & eo casu quô non foret significanda, multùm convenit illam adinstar consilii (obligatione nec affirmatâ nec negatâ) pœnitenti proponere & suadere.

His opponi iterum potest: nullum

verè esse conversum, cui non est voluntas observandi universa Domini mandata sub mortali obligantia, Conjuges igitur, si impedimenti certiores facti sejungi renuant, non sunt conversi; atque idem in Pœnitente obtinere, si in casu posito nollet confessionem instituere generalem. Sed respondeo: Non est, quòd negentur posse voluntatem observandi divina præcepta, quæ sub mortali stringunt, modò habere, quamvis voluntas ista ingruente tentatione fortiori, & insolitâ foret immutanda. Propatulum enim est, quod quis modò justus esse queat, qui in cœpta justitiæ semita non perseveraret, si tentationes fortissimæ, quas v. gr. Martyrum complures perpessi sunt, reipsâ ingruerent. Nec obstat, quòd modò debeat habere voluntatem absolutam divina præcepta omnia sub mortali obligantia quocumque eventu observandi: quia longè aliter tentant eventus jam positi, quàm solùm apprehensi.

DU-

DUBIUM IV.

An absolutio ordinariè sit differenda illis, qui per consuetudinem peccatum aliquod mortale commiserunt, nisi vitam notabili ante absolutionem tempore immutaverint?

CUm absolutionis dilatio hâc hominum ætate non paucis, at immeritò, sit ingrata, eò hactenùs collimandum videtur, ut per Conciones & Catechismos perdiscant, qui simili consuetudini implicantur, sui muneris esse (si veræ justificationis desiderio capiuntur) insignem vitæ mutationem præmittere, quà se ad absolutionem paratos & idoneos reddant: si autem (ut fieri solet) non satìs noverint, quid hanc in rem sibi potissimè conducat, deligendum sibi sciant Confessarium, sed spectatâ prudentiâ virum, sed è multis unum: miraris, quòd delectu opus est? Stupebis ergò D. Salesium de directore loquentem, 1. part. Introd. ad vit. devotam cap. 4. "Et proptereà delige unum è mille, in-„quit Avila, & ego, inquit, dico, unum „è decem millibus". Quin & præcibus ille

à Deo efflagitandus eſt, quem adeant non obtinendæ mox abſolutionis causâ, ſed ut ab illo edoceantur, qui pœnitens mala conſuetudine irretitus ſe extricare poterit, quô pactô pœnitentiam à Deô impetrabit, & ad novum vitæ genus pertinget.

Principiô, certum habeant pœnitentes ſuarum partium eſſe, & à Deo ſibi impoſitum, humilitèr & candidè ſtatum ſuum Confeſſario aperire, ejus conſilio obſequi, & monitis obtemperare; negotium verò abſolutionis Confeſſarii prudentiæ, utpotè judicis, à Deo committi, ut eam, dum ſibi viſum fuerit, pœnitenti impertiatur.

Quàm ſalutare, quantæ utilitatis hoc foret pœnitentibus, dum abſolutionis beneficio dignos ſe interim reddere ſtuderent! quàm hoc votis Confeſſariorum expetendum, ut eo pacto pœnitentis ſtatum pernoviſſe, illius & ſuas obligationes expendere, magnumque abſolutionis pondus maturè, & cum otio ponderare, atque, ut ita loquar, *ſedentes computare* liceret! ô! quàm hîc verterentur vices! quanta morum, vitæque immutatio! quot impedirentur ſacrilegia,

quæ

quæ hâc tempeſtâte, heu! nimiùm ſæpè cum tot animarum jactura & damnatione committuntur. Hanc rem adeò deſideratam & neceſſariam alii exemplo ſuo, alii imperio & monitis, omnes precibus promovere poſſunt.

Jam verò quid, ſi conſuetudini immerſus ſine prævia vitæ mutatione, enarratis ex ordine peccatis è veſtigio (ut in more poſitum quibuſdam) abſolvi deſideret? Non eſt, quòd abſolutionem Confeſſarius acceleret, etenim ut hoc pœnitentis deſiderio non obſtante, iſte coram Deo & verè abſolveretur, neceſsè foret, ut eſſet converſus ſubitò, & tametſi nemo inficias iërit, quin hoc poſſit Deus; attamen hoc ita fieri ſolitum poſt ejuſmodi vitæ genus, nemo quoque auſit aſſerere.

Porrò hæc de differendâ conſuetudinariorum abſolutione afferentes, inſolita & extra communem agendi ordinem poſita ſeponimus: neque enim imminente morte, aut datis omninò extraordinariis pœnitentiæ ſignis intelligenda volumus; de his enim Dub. 14. q. 4.

ARGUMENTUM I.

Quò probatur, quòd Deus illos, qui unius pluriumvè peccati mortiferi specierum consuetudini implicantur, subitò convertere non soleat.

HUic revocari possent (nisi suprà de illis actum foret) testimonia Scripturæ Sacræ, quibus statuitur non tantâ veram conversionem, quantâ vulgò creditur; celeritate & facilitate acquiri posse. Unde illis argumentis subnectentur, quæ Sancti Patres suà authoritate stabiliunt. Unicum tamen hisce præmitto: maturè expendatur, nùm si vera foret opinatio, quàm oppugnatum imus,
Matth. 7. Christus Dominus jure dixisset: *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam?* Et
Lucæ 13. iterum: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, querent intrare, & non poterunt:* Num fortè ex adverso dictum non oportuerat, quàm lata porta, & ampla via est, quæ ducit ad vitam, & multi sunt, qui inveniunt eam? Et illorum vice apud Lucam: non est necessè, ut

ut contendatis intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, vix quærent intrare, & tamen intrabunt? Hæc dicta à nobis transituris ad SS. Patrum testimonia, è quibus tres dumtaxat, compendii ergò, sât argumentorum ministraturi sunt.

"Si præcem toto corde quis faciat, inquit S. Cyprianus, si veris pœnitentiæ lamentationibus & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui dominum justis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest... Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere; potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & perierint Martyres, & fecerint Sacerdotes... Quàm magna deliquimus, tàm granditèr defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non desit; pœnitentia crimine minor non sit". S. Cypr. in lib. de lapsis. Sub. fin. lib.

"Pœnitudo necessaria est, sicùt vulneraris sunt necessaria medicamina: sed quanta, putas, & qualis necessaria pœnitentia? Quæ aut æquet crimina aut certè excedat". S. Ambr. ad virg. lap. c. 8

"Omnia ergò præterita conversis dimittuntur: cætera autem hujus vitæ sunt S. August. ser. 34. de divers. c. 12.

„ sunt quædam gravia & mortifera, quæ „ nisi per vehementissimam molestiam „ humiliationis cordis, & contritionis „ spiritûs, & tribulationes pœnitentiæ „ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ".

Id. ser 56. de temp. " Si alicui pes frangatur vel manus, „ cum labore solet ad pristinum officium „ revocari: si verò secundò & tertiò, „ & adhuc frequentiùs in eodem loco „ membra ipsa frangantur, potest in- „ telligere charitas vestra, cum quantis „ doloribus vulnera ista curanda sunt, & „ tamen post longas & multas tribulatio- „ nes vix erit, antequàm ad pristinum sta- „ tum membra ipsa valeant revocari; si- „ milis ratio in animarum fracturis, seu vulneribus esse credenda est".

In Ps. 118. ad illa verb. Miserere mei secundùm eloquium tuum. Meritò ergò dicit S. Ambrosius: " In „ ipsa Ecclesia, ubi maximè misereri de- „ cet, teneri debet quàm maximè forma „ justitiæ, ne quis à communionis con- „ sortio abstentus brevi lachrymula, „ atque ad tempus parata, vel etiam „ uberibus fletibus communionem, „ quàm pluribus debet postulare tem- „ poribus, facilitate Sacerdotis extor- „ queat. Nonnè cùm uni indulget in- digno

„ digno, plures facit ad prolapsionis con-
„ tagium provocari? Facilitas enim veniæ
incentivum tribuit delinquenti".

Quàm rectissimè ex his inferre liceat, quod ait S. Cyprianus: " Oportet Dei „ Sacerdotem non obsequiis decipienti- „ bus fallere: sed remediis salutaribus „ providere: imperitus enim est Medi- „ cus, qui tumentes vulnerum sinus „ manu parcente contrectat &c. Aperi- „ endum vulnus est, & secandum..... vo- „ ciferetur & clamet licet, & conque- „ ratur æger impatiens per dolorem, gra- „ tias aget postmodùm, cum senserit sani- „ tatem.... contra Domini ac Dei legem „ temeritate quorumdam laxatur incautis „ communicatio: irrita & falsa pax, pe- „ riculosa dantibus, accipientibus nihil profutura". In libelló de lapsis.

Non eô equidem animô hæc illorum dicta in medium produxi, ac si singula directè dictionis meæ argumentum probarent; hoc tamen indè est consectaneum, si quis ea suo hodie efferret nomine, quotquot illum audituri essent, continuò intelligerent ipsum nequaquam æstimare, quòd consuetudinarii & inveterati eâ ordinariè convertantur

cele-

celeritate ac facilitate, quantâ conversos putat, quæ hîc impetitur opinio.

ARGUMENTUM II.

Omni consuetudini familiare est eum, qui hâc imbutus est, tenaciter adfigere suo objecto, & tantô tenaciùs, quantò objectum istud pluris æstimatur: non potest autem non magni æstimari, quod amicitiæ Dei anteponitur.

PRava deindè consuetudo acquirit quamdam pertinaciam ab incrementis concupiscentiarum, quibuscum adolevit. Hanc ob rem Jure Sapiens *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Peccator igitur ab objecto mortiferæ suæ consuetudinis ægrè admodùm avellitur, multoque difficiliùs ita indè abstrahitur, ut non hæreat ei ultrà implicatus per affectionum ligamina aut desideriorum, eorum etiam quibus peccatum vellet, si liceret impunè; sic tamen avulsum oportet, ut verè sit conversus: à veritate igitur alienum, quòd consuetudinarii plerumque subitò convertantur.

Prov. 22.

Vio-

Violentiam consuetudinis suo malo didicit S. Aug. "Velle meum, inquit, tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippè ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus: voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam". Tum subjicit: Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam". Lib. 8. Confess. c. 5.

Id temporis multorum annorum precibus D. monica mater ejus conversionem adhuc efflagitârat, adeò quidem ut lachrymis tâm uberibus "terram rigaret in omni loco Orationis". Supra hæc omnia tamen prodigiosa etiamnum fuit, voce cœlitùs delapsâ, *tolle lege*, Augustini conversio; & singularis *mutatio dextera excelsi*.

Dicturus forsan alius : fac, adeô lentè & operosè peractam fuisse S. Aug. conversionem, secùs in Magdalena contigit, Paralytico apud Evangelistam, & bono Latrone. D. Bernardus respondet : Quòd "non tàm exemplum, quàm miraculum afferre debeat".

Epist. 8.

Quemadmodùm hisce ostensum, quòd prorsùs insolitum sit repentè veterem consuetudinariorum voluntatem exui; pariter modò ostendendum, æquè insolitum esse, ut voluntas nova subitò acquiratur, quæ ad conversionem non minori necessitate exigitur.

ARGUMENTUM III.

Voluntas nova, quam ad veram conversionem omnes requirunt, est voluntas absoluta & firma, hoc est, non vacillans, cuilibet peccato mortali in perpetuum renuntiandi; item absoluta & firma voluntas observandi omnia Dei præcepta in re gravi, omnia, inquam, & in perpetuum. Non sufficit igitur velleitas, non item voluntas, quæ vacillat: siquidem "absolvere eos non "possunt, inquit S. Carolus, qui pec-

cato mortali valedicere non decernunt". Adhæc certum quoque eſt, non ſuffecturum ad juſtificationem, ſi pœnitens quibuſdam tantùm mortalibus, aut ad tempus dumtaxat nuntium velit remittere.

His ita ſe habentibus liceat conſecutionem facere: poſt conſuetudinem ad peccatum mortale non eſt ſolitum fieri, ut ea voluntas nova, qualis modò deſcripta eſt, ſubitò comparetur: Ergò tali conſuetudine corrupti, ſubitò ut plurimùm non convertuntur.

ARGUMENTUM IV.

Si ii, quos conſuetudo peccandi implicatos tenet, converti ſubitò ſolerent; ex. gr. qui in Paſchæ feſto, vel aliàs ſine prævia immutatione vitæ abſolutione donantur, neceſſe foret, ut poſteà ad minùs converſio ex illorum moribus innoteſceret. Jam verò nihil hujuſmodi deprehendi conſuevit; neque enim menſes aliquot, aut hebdomadas expectandum, ſed videas non ſemel eâdem ſeptimanâ, uno alterove poſt abſolutionem die, quin & eodem ſubindè ad vomitum

redire, hoc est, libidines resumere, juramenta iterare, consortia ut priùs frequentare, ebrietatibus indulgere, quòdque malorum caput est, non rarò ad hæc omnia reditur absque magna aut insolita tentatione, animo nihil obsistente peccatorum illecebris; frequenter non adhibitis adversùs recidivam mediis necessariis.

Pone tamen istud hominum genus uno alterovè die se à peccatis exteriùs abstinere; non idcircò corde, utque oportet, à peccatis recessisse judicandi sunt potiùs, quàm febri liberatus, qui post solita illius intervalla noscitur illa denuò corripiendus: velut itaque hic non est sanitati corporis restitutus, ita nec illos animæ sanitati redditos prudenter judicas. Ad hanc enim voluntate novâ antè descriptâ prorsùs opùs est.

Hæc sanè, quandoquidem sit voluntas absoluta & firma peccatis mortiferis renuntiandi, idque perpetuum, non adsolet repentè evanescere, etenim sive naturam actûs spectes, sive objecti æstimationem, violentum illis est, ut subitò evanescant.

AR-

ARGUMENTUM V.

SI consuetudine depravati in hujus vitæ decursu plerumque converterentur subitò, quidni & sub vitæ finem? Imò faciliùs forsitan, quoniam peccatis in modicum tempus, quod sub vitæ terminum restat, faciliùs est nuntium remittere, quàm in totius vitæ spatium, quod longius speratur. Præterea ægritudo & mortis timor, judiciique divini impendentis horror plus cæteris ad peccati concupiscentias imminuendum possunt. Neque tamen hæc impediunt, quô minùs SS. PP. uno ferè omnium suffragio in hanc sententiam eant: " Pœnitentia sera, raro vera".

Ex quo hoc imprimis conficitur, quòd consuetudinarii raro sub vitæ finem verè convertantur; deindè quòd in vitæ decursu multò rariùs ritè convertantur, conversione, puto, repentinâ; alioquin enim contra communem sententiam pœnitentia sera plerumque foret vera, &, quod his amplius est, in iis quoque, quia vera conversione quàm longissimè distant.

ARGUMENTA ADDUCTA

Majus robur addunt considerata simul violatæ gratiæ baptismatis circumstantiâ.

Seff. 14. cap. 8. Concilium Tridentinum nonnullas, è quibus major post Baptismum resipiscendi difficultas nascitur, circumstantias indicat: " Sanè, inquit, & di-„vinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut „aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui „ante Baptismum per ignorantiam deli-„querint; aliter verò, qui semel à pec-„cati, & dæmonis servitute liberati, & „accepto Spiritûs S. dono scienter Dei „templum violare, & S. Spiritum con-tristare non formidaverint". Hinc SS. Patres multô majorem diuturnioremque præparationem atque pœnitentiam ante absolutionem à pœnitentibus, quàm ante Baptisma à Catechumenis postulabant; quamvis etiam Catechumeni innumeris fermè sceleribus, & Pœnitentes unico obnoxii forent. Consule, si lubet, Canones Pœnitentiales, quibus unica fornicatio septem annorum pœnitentiâ, & decem annorum adulterium multa-batur.

batur. Quid mirum igitur, si consuetudinarios non solere post Baptismum repentè converti ex iis universis concludamus?

ARGUMENTUM VI.

Quô subita consuetudinariorum, qui nimirùm simul recidivi sunt, conversio impugnatur & ex iis, quæ in profanis factitantur indies, depromitur.

MOdus, quem hodie servant, qui pœnitentes & consuetudinis peccati; relapsûsque in illud repetiti reos, non obstante etiam fide toties violata, absque prævia vitæ mutatione nunquam non absolvunt: Ille, inquam, modus in profanis ridiculus, exosus, imò & stultus ab hominibus habebitur.

Pone præfectum cujusdam arcis hoc mense à Rege suo rebellionis reum deprehendi; secundo iterum mense eandem contraxisse culpam, tertio item, quarto & denique totius anni curriculo huic identidem crimini obnoxium comperiri. Si Rex ille toties perfidi præfecti verbis fidem habeat, nonne mente cap-

tum dices? Pro Rege, Confeſſarium; pro arcis moderatore, conſuetudinarium ſingulis menſibus mortalia confitentem, cogita.

En aliud ſimile: Finge famulum tuum ſemel aut iterùm in ſingulas hebdomadas rem notabilem à te furari, & in ſingulas quoque hebdomadas emendationem polliceri: tunè illius verbo fidem dabis? Adducine poteris, ut credas illum quinquagies ex animo deteſtatum furta, eique animum fuiſſe, ut hæc non committeret deinceps, ſi totum interim annum à furto manum non cohibeat?

Secùs, inquies, ſe res habet in rixis, ebrietatibus, & id genus aliis magis illecebroſis, in illa quippe pœnitens faciliùs poſt veram converſionem relabitur. Sed reponam: numquid rectiùs ſimilitudines inter & conſuetudinariorum relabentium cauſam hoc intereſſe dixeris; quòd homines in profanis æquiùs judicent, atque in divinis Confeſſarii? Quos idcircò per viſcera Chriſti rogamus, ut rei tantæ momentum expendant: Nec ambigendum, quin illi ipſi Confeſſarii ex prudentiori illo hominum judi-

cio acturi forent, si toties fuissent pro Deo ipsi ludibrio habiti.

Ne quid tamen huic responso abesse videatur, observemus quid homines per rixas ebrietatesvè offensi censeant: fac unius alicujus famulum hoc mense Domino suo semel impegisse colaphum, & mense proximo sicut & aliis anni mensibus idem factitasse, & quô magìs congruat similitudo, pone illum singulis quoque mensibus Dominum veniam rogasse, & promisisse protestatumque fuisse, talia se nunquam in æternum commissurum: Visne, Dominus istis sui famuli promissis fidem adhibeat?

Petam & hoc: Si famulus ille notabilis damni per ebrietatem Domino author fuisset, poteritnè prudenter Dominus persuasum habere, quòd toties labentis anni curriculo famulum (etiamsi singulis septimanis propositum emendationis innovasset) verè pœnituerit suarum ebrietatum, quòdque toties ne æternùm quidem se in illas recasurum firmiter spoponderit? Crederetnè, amabo, Confessarius, si propria de causa ageretur? Quidlibet potiùs. Cur ergò

in Dei sui causa remissiùs agit? Quid singulis septimanis in ebrietatem recidentem singulis itidem absolvit?

Ne sit, quò elabatur, & faciliorem ob animi corruptelam in venerea post veram conversionem relapsum esse quis reponat: Quæso, nonne rectiùs hinc consequi diceret pœnitentem à venereis ob istam propensionem tardiùs converti? Percunctetur, si dubitat, quid in venereis homines: nullus adeò mentis impos conjux adduci posset, ut crederet uxorem singulis adulterantem septimanis, idcircò toties verè & ex animo crimen detestari, quia singulis septimanis veniam supplex deprecatur, promittitque emendationem. Si maritus dementiæ notaretur, quòd ista toties crederet; quomodò imprudentiæ notam effugiet Confessarius, si non dispari in negotio, pœnitenti non præmissâ vitæ immutatione toties & fidem det, & absolutionem?

DU-

DUBIUM V.

Credendumnè pœnitenti consuetudinario, se verè conversum esse asserenti, etsi nulla praiverit vitæ mutatio, saltem si sincerus & proindè nolle decipere, noscatur.

ASserunt nonnulli credendum esse tum ad minus, cum pœnitentis candor & sinceritas noscuntur: quid enim fides negetur illi, cum toto se corde dolere de præteritis, velle futura cavere, ad occasiones vitandas paratum, imo ad media à Confessario suggerenda adversùs periculum relapsùs accipienda promptum se affirmet & exhibeat? Nihilominùs respondendùm est, universa hæc non facere satis. Finge casum, quò centum aut plùs eo consuetudinarios, nullâ vitæ mutatione præviâ ob similia dicta protestationesque in Paschate absolveris; quot, putas, numerabuntur, qui è tanto numero post absolutionem vitam talem instituant, ut mores eorum te adducant, qui credas & persuasum habeas, quòd veterem consuetudinem exuerint, novamque indue-

rint voluntatem absolutam, & firmam peccatis lethiferis, universis & æternùm renuntiandi?

Non admodùm refert igitur, quod pœnitens habeatur vir sincerus, ubi argumenta hactenus allegata contra subitam consuetudinariorum conversionem id non patiuntur, coguntque potiùs, ut cogitemus, quod pœnitens circa suam ipsius conversionem fallatur, dum se verè conversum reputat, quandò veri sufficientisque doloris & conversionis gradum necdum attigit.

CAUSÆ

Deceptionis consuetudinariorum circa suam ipsorum conversionem.

PRIMA.

CAusarum primam colloco, quòd pœnitens peccatum, & effectum peccati non rectè secernat, quô fit, ut putet sibi displicere peccatum, quandò quidam illius solùm displicent effectus: ut sunt pœnæ & incommoda, quæ peccatum consequuntur. Jam verò dici-

dici non poteſt, quòd diſplicentia effectuum ſemper habeat comitem diſplicentiam peccati, ſi quidem & tunc, quando peccatum actu committunt, diſplicet illis beatitudine privari, æternæ damnationi obnoxios reddi, infamiæ notam apud homines incurrere, conſcientiæ remorſum perpeti, & ſi quid aliud moleſtiæ è peccato proficiſcitur.

Secunda.

Altera eſt, quòd voluntates quædam incompletæ & inefficaces, quas velleitates vocant, peccatum abdicandi, falsò ad converſionem ſufficere reputentur. Adjeci, falsò, quàm certiſſimum enim eſt, quod componi poſſint ſimulque conſiſtere abſoluta mortaliter delinquendi voluntas, & aliqua in lege Dei complacentia; ſicut & aliqua diſplicentia culpæ ejuſdem illius peccati, quod committere decernit. Hoc accidit, quoties mortaliter delinquens peccat quidem, mallet tamen legem Dei non violare, ſi cum legis obſervatione ea, quæ peccando ſectatur, obtinere liceret. Tum quidem in peccatore comperitur non-

nulla legem divinam transgrediendi displicentia; & tamen ideo prævaricatur, quòd illis carere, quæ peccando prosequitur, magis displicet. Quis jam non videat, quamlibet culpæ sive offensæ Dei displicentiam non excludere peccandi voluntatem ac proindè non quamlibet ad veram conversionem sufficere, si tùm quoque quandò mortale peccatum actu perpetratur, sit in peccante aliqua in legem Dei inpingendi displicentia?

Nullo negotio hæc exemplis illustrare est: complures ad duellum lacessiti eodem tempore, quô in arenam descendunt, moventur ab eâ, quæ isto in crimine reperitur, enormitate, nihilominùs duelli aleam subeunt, quia infamiæ nota, quàm sibi duellum recusaturis inurendam timent, præ duelli iniquitate displicet: nemo igitur duello jam peracto, illam ipsam qualemcumque duelli displicentiam ad veram conversionem sufficere affirmarit. Traditio Christi Domini Pilato non probabatur ob traditionis impietatem, & unà tamen Christum tradidit, ne amicitiæ cum Cæsare jacturam pateretur: Herodes scele-

ſcelerato juramento ſceleratiùs obſequens Joannem Baptiſtam capite minui juſſit, & tamen eo, quo mandabat tempore, id ipſi diſplicuit: matres quæ in Samaritano & Hieroſolymitano obſidiis veſcebantur liberis ſuis, hoc facinus cum diſplicentia patrarunt: nihil familiarius, quàm ut nautæ paſſuri naufragium merces ſuas in mare diſjiciant, harum nihilominùs jacturam inviti, & cum diſplicentia faciunt, quia tamen vitæ magìs, quàm illarum amiſſio diſplicet, illas abjiciunt.

Quamquàm igitur multis diſpliceat peccatum, non ideò ſat diſplicet ad converſionem: etenim eò diſplicentiæ nondum ventum eſt, ut peccare magìs diſpliceat, quàm carere bono, quod peccando comparari, vel ſubire malum, quòd peccando vitari intenditur.

Tertia.

Tertia erroris cauſa eſt, quòd pœnitens ſatìs eſſe converſioni arbitretur voluntatem renuntiandi quibuſdam peccatis mortalibus, quamvis non reſcindat affectum committendi quædam alia.

Tri-

Triplex, quem adduxi, error facilè nos edocet, quòd in pœnitente consuetudinario reperiri possint sinceræ lachrymæ, à vera conversione sejunctæ; quandoquidem effectuum peccati displicentia, velleitas sive voluntas inefficax peccato valedicendi, profecta ex ipsius peccati displicentia, sed nequaquàm sufficienti, voluntas denique deserendi aliquod dumtaxat peccatum mortale, hæc, inquam, tria valeant absque dubio lachrymas exprimere; quod in alio tamen sexu magis fieri assuevit.

QUARTA.

Erroris quoque arguendi sunt, qui falsò opinantur ad confessionem sufficere, ut peccatis mortiferis in tempus quoddam, vel in occasionibus solitis renuntient; quamvis tùm quoque eâ sint voluntate, ut jam statuant illa aliquandò iterare post longum saltem intervallum, vel in occasionibus plusquàm ordinariis.

Quinta.

Falluntur hic alii, qui ideò se conversos existimant, quòd recitarint quamdam orationem, quæ actus contritionis indigitatur; stolidum quippe est, censere quempiam idcircò contritum esse, quia ejusmodi preces recitavit: etenim vel cæco appareat, quod non omnis, qui ait, *doleo*, propterea verè doleat; neque omnis, qui sonat ore, *credo, spero, Deum diligo ex toto corde &c.* ideò revera credit, sperat aut Deum diligit. Hæc tamen non eò dicta velim, quasi hujusmodi præcatiunculæ aut protestationes omnis utilitatis expertes forent, cum ejusmodi precationes moveant, ut cogitanda cogitet, hoc est quæ ore pronuntiat, volvat animo, peragat affectu, & cor ad ista non dissimiliter componat; quò consuetudinarius non pertingit, nisi per meditationes, precationes, pœnitentiæ opera, aliaque pietatis exercitia æquo & sufficienti tempore adhibita.

DU-

DUBIUM VI.

An Confessarius, qui consuetudinarium non-præviâ mutatione vitæ absolvit, quotiès se totò ex corde dolere de præteritis, & cavere futura asserit, non sit coram Deo excusandus, ut sacrilegium, quod committitur, aliaq; in damnum pœnitentis emergentia, soli sint adscribenda pœnitenti?

NEquaquàm ab æquissimo judice Deo excusatur, quia Confessarius suo in tribunali judicis partes adimplendas habet, & medici, magistri, directorisque spiritualis munere fungitur. Jam verò judicis partes sunt, æquam de rebus suo udicio concreditis ferre sententiam; at non temerè sententiam dicere, aut judicium pervertere: medici est, ægro medicamina salutaria præscribere; non autem impendere noxia: in magistrum cadit eos, qui illius se subdunt disciplinæ, rectis & veris imbuere, atque errorem perniciosum dedocere; non autem facto aliovè modo illum fovere, & errorem (quòd hunc in modum malè absolventes factitant)

tant) suo & illorum malô adaugere: parentis denique officium postulat, verè paternam liberorum salutis curam gerere; ast illam quasi nihil aut perparum ad se spectantem gravissimis objicere periculis; ne novercæ quidem.

DUBIUM VII.

An omnes consuetudinarii sint habendi eodem loco?

MInimè gentium: à vera quippè conversione (cætera sunto paria) plus aliis distant illi, qui consuetudini diuturniori, vel ad mortalia plura, vel graviora implicantur: tùm quidem potissimùm, quandò hanc peccandi viam repetentes, Confessiones interim absolutionesque frequentissimè repetierunt, &; quod caput est, forsan eâdem durante offensarum consuetudine sacrilego ore S. Communione refici non erubuerunt. Quô autem consuetudinarii longiùs à vera conversione absunt, eô plura exigenda, quibus se verè conversos probent: etenim tantô major æquiorque est in oppositum præsump-

 tio:

tio. His adjiciendum, quædam esse peccata, quæ suâpte naturâ magìs adhærescunt, ut venerea, odia inveterata &c. quæ proinde, dum in consuetudinem abiêrunt, illos magìs allegatos tenent & intricatos. Cùm S. Augustino igitur postulamus „ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi", & unà requirimus, ut major sit & præstantior pœnitendi violentia, cui major & tenacior cedat peccandi consuetudo.

DUBIUM VIII.

Vtrùm si justa sit ambigendi ratio, nùm pœnitens sit consuetudinarius, Confessarium oporteat hoc exquirere, quamvis confessio præsens nihil istius innuat?

IN more positum est consuetudinariis, ut varios, ne innotescat continuus eorum relapsus, accedant Confessarios, quô fit, ut consuetudo novis identidem Confessionum Communionumque sacrilegiis coram omnia videntis oculo mirificè exaggeretur. Si quis ergò Confessariorum meritò addubitet, nùm hic pœni-

pœnitens prima vice sibi confessus, etiam de illorum grege sit, hâc de re examinandus est, quamvis ne verbum quidem de consuetudine fecerit.

Hoc responsum prorsùs sequitur ex iis, quibus Dub. 1. & 2. quæst. monstratum fuit, Confessarios obligari ad examen confitentis super affectione ergà mortale instituendum, si nôrint aut dubitent pœnitentem illâ laborare, etsi in confessione illam subticeat.

DUBIUM IX.

Vt consuetudinarii absolvantur, satisnè est, peccata notabili antè tempore deseruisse?

DUbio huic locum faciunt ea, quibus dictum est; præmittendam esse à consuetudinariis vitæ mutationem; quæ idcircò explananda, ne videatur nihil extra hoc ab iis exigendum.

In confesso est, omnes in hoc convenire; quòd adultis in mortale peccatum lapsis necessaria sit sincera & intima cum verâ ad Deum conversione pœnitentia: de quibus Conc. Trident.

duobus potissimùm locis, & primô quidem de justificatione: " Disponuntur
Concil. Trident. Sess. 6, c. 6.
„autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ; & adjuti fidem ex „auditu concipientes, liberè moventur „in Deum credentes vera esse, quæ „divinitùs relevata & promissa sunt, „atque illud in primis, à Deo justificari „impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: „& dum peccatores se esse intelligentes à divinæ justitiæ timore, quô utiliter concutiuntur, ad considerandam „Dei misericordiam se convertendo, in „spem eriguntur; fidentes Deum sibi „propter Christum propitium fore, „illumque tamquàm omnis justitiæ „fontem diligere incipiunt, ac propterea „moventur adversùs peccata per odium „aliquod & detestationem, hoc est, per „eam pœnitentiam, quam antè Baptismum agi oportet".

Si illam ante Baptismum pœnitentiam actam oporteat, omni procùl dubio in rem tàm Confessariorum, quàm pœnitentum multò maximè futurum est, si hanc actuum seriem benè & ordinatim pro debita ad justificationem

in Sacramento etiam Pœnitentiæ præparatione, impressam sibi habeant.

Aliud Concil. Trident. dogma tradit, ubi verba facit de motu contritionis, "qui fuit quovis tempore (Concilii verba sunt) ad impetrandam veniam peccatorum necessarius, & in homine post Baptismum lapso præparat ad remissionem peccatorum percipiendam cum Sacramento Pœnitentiæ": De illo, inquam, contritionis motu hæc disertè asserit: "Declarat igitur S. Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere": Et adjicit, "Juxta illud, projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum". Tum pergit: "Et certè, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: tibi soli peccavi, & malum coram te feci: laboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios hujus generis, facilè intelliget, eos ex vehementi quo-

Seff. 14. c. 5

Ibidem

„quodam ante-actæ vitæ odio, & in„genti peccatorum detestatione profectos fuisse". Apposité scilicet Concil. Tridentinum & rectissimè præter vitæ novæ inchoationem postulat veteris odium : " Neque enim scriptor, ait „S. Gregorius, si à scriptione cessave„verit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat, delevit".

Part. 3. curæ Past. 31. admonit.

Hactenùs tamen de sola vitæ mutatione verba fecimus, quia animus fuit differere de illo in consuetudinariis ad absolutionem requisito, quod magìs percipi, penè dixeram, palpari potest; & quô absente peculiariùs palam fit, quòd ex consuetudine peccantes subitò non solent converti.

DUBIUM X.

An consuetudinarii obsolutionem sine prævia vitæ mutatione desiderantes duris verbis sint increpandi, aut quô pactô cum iis agendum ?

CОnfessarii partes sunt, illum agendi modum adsumere in consuetudinario sine absolutione dimittendo, qui oppor-

opportunior ſit, quó ei perſuaſum fiat, nihil hîc decerni; nihil agi, niſi quod æquiſſimum eſt, & magna ratione fulcitur; immò quicquid geritur, è re ſalutis ipſius fore: huc oportet rationes concinnare, quin & argumentis palàm facere, quòd abſolutionis dilatio non mediocri futura ipſi ſit emolumento; quare nonnulla ex dictis argumentis ipſi proponere potuerit Confeſſarius: atque in rem ipſius futura præſertim fuerint, quæ ab hominum familiari in rebus mortalibus æſtimatione mutuati ſumus, & in ſextum hujus quæſtionis Argumentum redegimus.

Perquàm opportunum erit præterea, è propria ipſorum vitâ monſtrare, quàm exiguam non tantùm ceperint utilitatem ex anticipatis abſolutionibus, ſed & maximum diſpendium tulerint. In omnibus hiſce ut plurimùm ſeveritati præſtat benignitas, & lenis modus auſtero ſatior eſt; quæ ſuavitas, ſi neceſſario rigori non officiat, in ſceleratiſſimo quovis peccatore non parvo cum fructu uſurpabitur; is quippè agendi modus decet Confeſſarium quô oſtendatur diſcipulus eſſe magiſtri illius

Isai. 42. multô mitissimi, de quo Propheta: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Neque hoc indignum
Lucæ 12. illo, qui venit... *quærere, & salvum facere, quod*
Ioan 12. *perierat*; vel quod ipse de se alibi: *Veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

Quàm Christus instituto suo imprimìs congruam, & utilem censuit mansuetudinem, humilitatem, & suavitatem, hanc imitentur, & hâc necessariò instructi sint, qui in Confessarii munere pro ipso legatione funguntur: hisce autem, meâ quidem sententiâ, virtutibus ornatum se frustrà Confessarius studet exhibere exteriùs, nisi eas, & præ reliquis charitatem, animo excoluerit.

Juvat quoque pœnitentis conversionem quibusdam adminiculis provehere, quod fiet, si Confessarius conversionis in ejusmodi pœnitente initium nonnihil laudet, & subliniendo ad progressum animos faciat. Neque improbandum, ut istud deprædicet velut quoddam argumentum conversionis, non quidem existentis, ast futuræ; futuræ, inquam, si pietatis ac pœnitentiæ exercitamentis illam porrò augere adnitatur;

tatur; docendus prætereà pœnitens quomodò Christus Salvator noster inter mortales quondam agens susceperit peccatores, quomodo causam nostram modô agat in cœlo, & interpellet pro nobis: adhæc instruetur peccator perquam utile esse & pium, ut patrocinium Deiparæ apud Mediatorem Dei & hominum Christum Jesum imploret, tutelari Angelo se commendet, in Patroni sui clientelam committat, atque illorum cœlitum opem efflagitet, quos mortali hac in vita Deus voluit esse pœnitentibus exemplar. Hunc in modum conversionem obtentum iri denuntiet, præsertim si indesinenter illam à Deo, ut oportet, hoc est, per Christi merita studiosè flagitet: verùm ut hoc ægrè impetratur ab iis, qui salutis suæ non admodùm satagunt, & exiguo æternæ damnationis timore concutiuntur; ita incumbendum, ut illius cura & hujus timor in ipsis excitentur.

Timori incutiendo congrua sunt, quæ Sacræ Litteræ de exîli salvandorum numero commemorant velut hoc non semel dictum: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quæ-* Lucæ 13.

rent intrare, & non poterunt: quàm angustæ porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Excitando salutis desiderio utilia sunt, quæ in Sacra pagina quamdam incompræhensibilis felicitatis ideam nobis abumbrant.

1 Corint. 2 Ex. c. *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Obtentis jam salutis desiderio, & damnationis metu non magni laboris erit persuadere, ut media, sine quibus nec illam adipisci, nec hanc effugere queant, lubentes acceptent. Neque est, quòd mirentur aliqua labore & molestiis plena postulari; "ad magna enim "præmia, teste Gregorio, perveniri non potest, nisi per magnos labores". Hi verò ne deterreant, & rursùs ab incepto avocent, docebunt eos Confessarii

Hebr. 12. aspicere *in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui propositô sibi gaudiô sustinuit crucem, confusione contempta:* docebunt Christum, ut nos vocat in consortium beatitudinis, ita & invitare ad crucis participationem: *Si quis vult*, ait, *post me ve-*

Lucæ 9. *nire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Hæc ipse ad omnes.

Hæc-

Hæccine ad omnes ? Quid igitur causetur peccator, quó minus molestias perfringat, & labores subeat, tot tantisque sceleribus suis ista & plura meritus ? Docebunt, inquam, has ipsas molestias magno quoque peccatori non parum alleviandas gratiâ propitii Redemptoris opitulante, illaque nos spe allicere & invitare, qui clamitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos... Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. 11.

Actuarii loco esse poterit, quòd maximi quoque peccatores id ipsum experientiâ discunt, non antè tamen, quàm charitas Dei diffundi cœpit in cordibus eorum: "Hæc enim, testante Augustino, præcepti sarcinam levem facit; non solùm non prementem onere ponderum, sed etiam (ut ait) sublevantem vice pennarum": Undè originem duxit gaudium, quô D. Paulus in omni sua tribulatione superabundavit: ubi enim amatur, non laboratur, vel si laboratur, labor amatur.

DUBIUM XI.

An mansuetudo, quæ in Confessario requiritur, obstet doctrinæ hactenùs traditæ de consuetudinariis?

IMmitis est, qui furibundo, quô se interimat, gladium porrigit; & ex adverso misericors, qui huic illum denegat quantumvis impensè postulet: hoc faciunt, qui consuetudini immersos, vitâ nondum immutatâ, sine absolutione dimittunt; istud, qui præproperè absolvunt; si quidem irritam & falsi nominis pacem, non solùm accipientibus non profuturam, sed & multum iis plerumque nocituram annuntiant.

Facillimum intellectu, quî oculus mentis caligine obnubilentur, & crudeli mansuetudine perperàm anticipatæ absolutionis excæcetur, ne malè Pænitentes suam ipsorum impœnitentiam videant, immò ut impœnitentiam veræ pœnitentiæ loco habeant; & quorsum, nisi ut de vera pœnitudine nulla maneat solicitudo? Neque hic sistit malum; at voluntas, quæ per inveteratam consue-

tudinem peccatis firmitèr adhærescebat, nunc præter hæc in malitia obdurescit, dum ita rem geri advertit, ac si non adversarentur, frui commodis voluptatibusque peccati; atque unà absolutionis beneficiô culpis, illarumque pœnis eximi.

Vah! immitem misericordiam! quæ impœnitentes illos pœnitentes absolvendo minimè absolvit, sed firmiùs ligat. Ligat, ad illigandum pœnitentes vinculis peccatorum, & peccatum peccato accumulandum: ligat, inquam, ad vinculum vinculo innectendum, hoc est, sacrilega absolutione & novo peccato vetus diluèndum: utinam, non liget denique ad impœnitentiam finalem, & ad alligandum illos in compedibus & manicis æternis!

DUBIUM XII.

Quid agendum cum consuetudinariis moribundis, si nulla præivit vitæ mutatio?

QUamquàm incomparabiliter verosimilius sit, quòd sub vitæ finem quo-

quoque pœnitentes consuetudinarii subitò non resipiscant, tamen absolutio illis impertienda est, etsi vitæ mutatio haud notabili tempore præmissa fuerit: siquidem ut isto eventu absolvantur, satis fuerit de illorum conversione dubitationem oboriri. Quare necessitate suprema premente materia etiam, quæ incomparabiliter verosimiliùs Sacramento non sufficit, in Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta ministrando, non interdicitur.

Ampliùs dico, fac verisimilitudinem istiusmodi pœnitentem absolvendi invalidè, quadragesies & plus eô excedere verisimilitudinem, quâ fortè valiturum est Sacramentum: nihilominùs ille foret absolvendus; periculum quippe damnationis ipsius pœnitentis, quod ex negata absolutione dimanat (ponatur è quinquaginta, aut centum hujusmodi pœnitentibus uni fortassis dumtaxat profutura) majus est, quàm materialis illius irreverentiæ periculum, esto hæc longè verisimiliùs eventura sit: quandoquidem igitur hominem inter duo mala collocatum, quod majus est, avertere oporteat, hujusmodi con-

ſuetudinario eô eventu abſolutionis beneficium donandum foret.

DUBIUM XIII.

Quomodò agendum cum conſuetudinariis, ſi abſque mutatione vivendi præviâ abſolutionem deſiderent, ut per eam ad Sacramentum Matrimonii, vel ad alium ſtatum illicò ſuſcipiendum diſponantur?

FAllor, ſi hæc doctrina difficiliùs in actum deduci queat, quàm ubi confitentur peccandi conſuetudine laborantes, ut Matrimonio jungantur. Hæc moleſtiæ origo; conſuetudo fert, ut multi antè certiores facti de Matrimonio contrahendo, tempus præſtolentur; ac proindè Confeſſario abſolutionem Sponſis, aut eorum alteri renuente, non mediocris naſcitura eſt perplexitas, quam ſic exprimo. Vel abſolutione negatâ connubium contrahent, aut minùs: ſi negatione abſolutionis nihil obſtante conjugium ineünt, novo ſe conſpurcant ſacrilegio, & ſalutem ſuam horrendo exponunt diſcrimini, indignè ſuſcipientes Sacramentum, cujus effectu & ſubſidio

sidio tantopere, quoad connubii status duraverit, opus habent: si hæc incommoda pertimescentes Matrimonii fœdus inire procrastinent, infamiæ notam incursuri sunt, & magnæ frequentèr excitabuntur turbæ, animique exacerbatio contrà Confessarium, si ille unà fuerit, (quòd in Pagis frequens) illorum Pastor.

Quò igitur hîc se vertet Pastor? Non est, quòd hæreat: si enim quis Sponsorum absolutione frustratus eò impudentiæ venerit, ut ad Sacramentum Matrimonii suscipiendum indignus se ingerat, doctrina generalis de Sacramento peccatori publicè petenti administrando locum habet; quarè ex confessione dumtaxàt resciens illius indignitatem, & ad assistendum publicè rogatus, non potest non assistere, ne confessionis sigillum violare videatur.

Altera labyrinthi pars superest evadenda, & illis contractum differentibus, quid aget? Difficultas est non mediocris: quâ de causâ oportet Parochos, & qui illorum vice suggestum conscendunt, docere frequenter populum in

Concionibus & Catechismis, quid præparationis requiratur in consuetudinario ante absolutionem, proindè priùs, quàm Matrimonium contrahere liceat. Oportet & hoc dicere, quanto sit damno Sacramentum Matrimonii suscipere absque præparatione condigna; cujus damni non minima pars, quòd in statu conjugii opùs habent pluribus, iisque magnis & peculiaribus gratiæ subsidiis, quibus si ultrò se privant, non mediocre salutis subeünt periculum.

Neque hîc moror quorumdam opinationem, qui Sacramentum Matrimonii cum obice susceptum reviviscere, illo sublato, existimant; nihil enim clariùs, nihil certiùs, quàm illorum opinionem nihil opitulaturam, nec hujusmodi conjugibus gratias eas suppeditaturam, quæ omnes ab institutione divina scaturiunt, & illa perindè à sententiis hominum est independens, atque Deus ab homine: quicquid proindè probabilitatis corradant, quotquot agglomerent authoritates, non effectum dabunt, ut Matrimonii Sacramentum reviviscat, si illud instituenti Deo secùs

visum fuerit. Nolim ego hîc istud laboris insumere, ut eorum sententiæ probabilitatem pervestigem, quia probetur, improbetur, si à veritate (ut potest) aliena sit, nihilò plùs reviviscentiæ allatura est, quàm si de illâ sententiâ probabilitatem astruente, nulli vel cogitatio incidisset.

Præterea huic eventui, ne ponatur, (potissimùm in Pagis) hâc viâ obviam ire possunt, si doceant tam in Catechismis, quàm in Concionibus, moneantque frequentèr Pastores, diem celebrandis nuptiis, nisi opportunum, non esse indicendum; ad opportunitatem autem facere non solùm temporalia, at quam maximè spiritualia, quod vel ex eo discant, quia maximoperè illorum interest Sacramentum Matrimonii eâ, quâ decet, animi præparatione, & congruâ dispositione suscipere; quapropter Pastor priùs meritò consuleretur, quid auditâ confessione de commodo nuptiis celebrandis die censeret. Non dubito, quin hæc & id genus alia sub annuas Conciones & Catechismos repetita, multum hac in re facillitatis additura sint.

Neque

Neque hoc prætereündum: quandò aliqui sese Pastori sistunt ad contrahendum sponsalia, Sponso & Sponsæ hæc, vel clàm vel palàm ipsis in memoriam redigat, moneatque seriò confessionem tempestivè instituendam, & non in diem nuptiarum differendam; verùm justo sât tempore ante nuptiarum diem animam confessione expient: integrum quoque hîc erit Pastori, enucleatè ista incommoda proponere, quæ secutura sunt, si acciderit forsàn differendam esse absolutionem, & proindè nuptias, quod evenit, dum confessionem tam diu producunt, ut nullum supersit tempus medium, quô se Sacramento Matrimonii suscipiendo idoneos, reddant.

Quod de confessione justo tempore nuptiis præmittendâ dictum est, erunt nonnulli; quibus dubitationem forsitan moverit, periculo vacuum non esse, ne Sponsi videlicet à confessione tempore medio in lethale denuò labantur peccatum: haud inficias irem, si verè conversi, & gratiâ per absolutionem acceptâ tam citò solerent relabi; cujus tamen si periculum quoddam suboluerit Pastori;

ita succurri potest : confessione tribus quatuorvè antè diebus factâ, absolutionem non impendat illicò, sed in tempus nuptiis vicinum magìs, immò ad ipsum nuptiarum diem, si videtur, differri potest.

Diluitur quàm facillimè, inquient, hæc difficultas absolvendi Sponsos consuetudinarios, si consuetudo sola inter se peccandi ex. gr. fornicando, absolutione indignos reddat, quia Matrimonio inito hujus peccati periculo non exponuntur : quasi verò, absente peccati futuri periculo pœnitens in portu navigaret : neutiquàm sanè, at verum odium & præteritorum detestatio æquè necessaria sunt, & præter hæc vera ad Deum conversio ; illa verò cum repentè acquiri non soleant, nec illis quoque, nisi notabilem vitæ mutationem præmiserint, à Deo infundi credendum erit.

Ecquid interea faciendum, si Pastorum monitis nullus relinquitur locus, sed Sponsi pravâ consuetudine imbuti ipso nuptiarum die nulla vitæ mutatione præviâ confessuri Pastorem conveniunt ? Si Pastor consuetudinarios esse noverat, eorumque tarditatem non im-

meritò conjeciſſet, illorum ſaluti potiùs conſuluiſſet ipſos domi ſuæ monendo, increpando, & quô poterat modô, adducendò, ut dum tempus ſupererat, muneri ſuo facerent ſatis: ſi tamen poſt hæc omnia difficilis ille caſus eveniat, quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi conſequatur, juxta Hypotheſes præmiſſas, 3. potiſſimùm & 4. agendum judico: nemo quoque niſi imprudens, quæ hinc orientur incommoda, imputare poterit Paſtori in hunc modum cauſam & Dei & ſuòrum pœnitentiam ritè agenti.

Aliud eſt hominum genus quos omittere inſtituti hujus ratio non ſinit, ut & illos argumentum noſtrum involvat, quos ſimilis antè peccandi conſuetudo: quoſdam invenias, qui fœda mortalibus mortalia addendi conſuetudine irretiti ex compoſito vixerunt; aſt è ſæculo, quod ajunt, ad Monaſterii ſepta tranſilire, & pœnitentiæ operibus peccata diluère jam jam ſtatuunt. Sunt nimirùm qui addicto ſibi in Regione quapiam loco, irreligiosè peccatis habenas laxant, nihil aliud quàm genio indulgent, ſympoſia agitant, ebrietates fre-

frequentant (omitto turpiora) & dum mundo valedicere se jactitant, mundi & carnis cupiditatibus aliquot mensium, si non longiori intervallo, profundiùs sese immergunt, nec priùs peccatorum catenam disrumpere statuunt, quàm pedem monasterio inferant: dixeris id eô consiliô illos agere, ac si nîl haberent, quod pœnitentiâ pòst abstergerent, nisi his peccatorum sordibus studio adspersis sese maculâssent. Biduum, putas, triduumve his detestandis satìs est? Fors ne numerandis quidem. Omitto enim prodigalitatem tam longi temporis, quod quidam Religionem meditantes otio transcribunt; prætereo tot Parentum sumptus, quos illi tanto labore paratos absque fruge impendunt: silentio involvo tot scandala, tum sodalium, quos peccatorum suorum desidiæ scilicet, potitationis, studiorum contemptûs &c. catenæ innectunt; tum illorum omnium, quos in peccatum trahunt exemplo suo, quô nullum majus incentivum plebeculæ, quæ nihili facienda putat peccata, dum tantâ ab iis, qui ad Dei se accingunt arctius obsequium, libertate committi intuentur.

Suntnè

Suntnè illi tam citò sanandi, qui proximum à suis quæ inflixerunt, vulneribus numquam fortassis sanabunt? Scilicet Deus toties ab illis ludibrio habitus, toties ad vindictam provocatus, illicò depluet iis gratiarum nimbum, quo peccata sua eluant. Credat hoc ille, qui in animum inducit suum; quòd Paterfamilias meritis cumulabit illum famulum, qui condictô sibi famulatu duobus tribusvè pòst mensibus inchoando, tempore illo medio colaphos identidèm Domino suo infringit, convitiis & dicteriis onerat, ac omni injuriarum genere lacessit. Si hunc, quovis judice, Dominus famulatu suo indignissimum reputaret; in æquissimum Deum præsumptuosus est, qui existimat illos vocanti Deo tam ingratos, repentè conversum iri, & tam subitaneâ quàm inauditâ metamorphosi de lupis in agnos ordinariè transmutandos.

Ecquis mortalium adeò insaniat, qui se ultrò sauciet, ut pòst sibi medeatur? An pio animo incidere queat, velle Deum datâ operâ jam offendere, ut posteà illum sibi reddat propitium? Hæc non ad omnes, at in pauculos for-

ſan dicta ſunto, eo quidem animo, quo optârim, ut in nullos: eo, inquam, conſilio, ut ſicut pio virtutum exercitio in Novitiatu ad inſignem illam profeſſionem ſeſe comparant; ita quoque novum hominem cum Sacro Habitu, & Sacratiſſimis Sacramentis induturi, juſto anteà tempore veterem cum ſuis actibus exuere ſatagant. Nemo tam parùm Religioſus, qui non ducat ſibi Religioni profeſſionem ſuam flagitio temerare, aut qui poſt illam patrare auſit, qualia multos illius candidatos committere non pudet; quô igitur locô habenda profeſſio illa multô ſolemniſſima, quâ diabolo & pompis ejus ejuratis Sacro-ſanctam Chriſti Legem profeſſus eſt Chriſtianus? Ceterùm & in eorum abſolutione locum habere Hypotheſes in hujus libelli capite collocatas hactenùs dicta affatim conficiunt.

DU-

DUBIUM XIV.

Vtrùm hactenùs dicta de consuetudinariis arguant nunquàm consuetudinarium primô ad Confessarium accessu posse ab illo absolvi?

NOn semèl dictum est in superioribus, iterumque dico, absolutione donandum esse consuetudinarium, extremâ id postulante necessitate; modò tamen dispositio, quam eâ necessitate obrutus adfert, dubia ut minimùm fuerit: quod abundè declarat Hypothesis quarta.

Quæ itaque aliquot dubiis de consuetudinariorum absolutione perstrinximus, ut probè intelligantur, & cum fruge in actum deducantur, *per se* intelligenda sunt: quis enim negârit in consuetudinario præter consuetudinem accidere posse, & primâ etiam vice absolvendum fore, si quid nimirùm *per accidens* ingruat, quod spectatis omnibus secùs faciendum suadeat aut impellat. Evincit hoc

Primo, quod alibi de necessitate monitum voluimus; illâ enim stringente, ad

insistendum traditæ de consuetudinariis absolvendis doctrinæ Confessarium non adstringimus.

Alterum est, quô positô dicta consuetudinarios absolvendi methodus præteriri posset, si nimirum is, qui consuetudini peccatorum implicatus fuerat, eô, quo fas est, tempore peccatis renuntiârit, eaque tum pietatis tum pœnitentiæ exercitamenta, quæ Confessarius postulaturus fuisset, suâ sponte antè susceperit compleveritque, quàm Confessarii tribunal subeat. Hunc etsi consuetudinis peccata confitentem, primâ etiam vice *ex accidenti* absolvere potest.

Hinc disces, quanto usui, quantoque emolumento futurum sit; hoc ipsum & in Cathechismis & in Concionibus frequentissimè docere fideles & inculcare, quod inter vitam consuetis in peccatis traductam, & impertiendam absolutionem sufficiens morum mutatio intercedere debeat. Deindè eundem in finem pietatis exercitia & pœnitentiæ opera pro peccatorum genere pœnitentibus opportuna enucleanda sunt & suggerenda; & quô spiritum pœnitentiæ melius

liùs securiùsque hauriant, perquàm utile erit, & valdè salutare, eos designare libellos, quibus virtutes Theologicas, veram pœnitudinem, & illarum actus, de quibus perpulchrè Concil. Trid. Sess. 6. c. 6. doceantur;

Tertiò denique *per accidens* consuetudinarius primô etiam ad Confessarium accessu absolutione donari potest ob signa doloris de vitâ ante-actâ prorsùs insueta & inusurpata; quid enim vetabit, quô minùs præter ordinarium absolutionem reportet, qui extraordinaria apportat pœnitentiæ argumenta? Ea, inquam, quæ Confessarium illâ; de qua Hypothesis quarta, certitudine certum reddant Pœnitentem absolutione dignum esse, & ad eam sât dispositum: quod de absolutione tertio casu primâ etiam vice *per accidens* impendenda dictum, vel maximè locum habet, si peculiaris quæpiam pœnitentis utilitas absolutionem differri ægrè patiatur.

Quamquam hæc debitum cum iis, qui consuetudini peccatorum agglutinati fuerint, agendi absolvendique modum *per accidens* interpellare & sistere valeant; ita & scandalum rursùs intercedere potest,

teſt, quô ea, quæ *ex accidenti* abſolutionem præproperare poſſunt, iſthæc præſtari nequeant; ob ſcandalum, nimirùm quod vel datum à pœnitente reſarciri ante abſolutionem fortè debuerat, vel feſtinatâ abſolutione à Confeſſario dandum foret.

Liceat igitur mihi hîc divinæ veritati ſuccinere: *Eſtote prudentes*, Confeſſarii, *ſicut ſerpentes*; egent quippè prudentiâ & circumſpectione quàm maximâ, ut in negotio negotiorum potiſſimo dignè ſuo munere verſentur, ne pernicioſam facilitatem & oſcitantiam Confeſſariorum vitare ſatagentes, in oppoſitam partem abeant, & abuſum abuſu commutent, tantùm abeſt, ut corrigant.

OBJECTIONES

Contra Doctrinam traditam de consuetudinariis.

Prima.

Fieri potest, ut consuetudinarii tempore dilatæ absolutionis moriantur.

AD hanc objectionem refellendam principiô hæc esto Regula: Si Confessarius mortis periculum imminere advertat, absolvendus est quicumque pœnitens consuetudinarius, nullâ etiam mutatione vivendi præmissâ, modò jam ex animo se dolere de præteritis ostendat. Ut Dubio xii. innuitur; immò Sacerdotum nullus non poterit eum sub extremum vitæ periculum absolvere.

At finge consuetudinarium sine absolutione dimissum posteà in mortis discrimen adduci, & subitò è vita decedere, ut nullus Sacerdos ipsi Sacramentum absolutionis impendere potuerit, hoc, inquient, eventu absolutionis dilatio magnum, hoc est, æternæ salutis detri-

trimentum forsan intulerit consuetudinario. Respondeo, si fuerat indispositus aut imparatus ad absolutionem, nihil quicquam illa fuerat ipsi profutura, imò pronum erat, ut illa offecisset suscepta, quæ ex adverso profutura erat dilata: hujus causa est sacrilegium, quod patrari consuevit ab iis, quibus indignis absolutio donatur, & quô deindè S. Eucharistiam inhonorant: gemino huic flagitio portam occludit absolutionis dilatio.

Secundò, dilata absolutio sæpè pœnitenti causa est, ut ita conetur se veræ conversioni idoneum reddere, undè tantam eâ occasione pœnitentiam adipiscatur, quæ suffecerit quoque sine absolutione; ubi econtrà ii, quibus tam facilè absolutio impenditur, persuasi se verè & reipsâ esse conversos, nihil operæ in hoc collocare solent, ut ad Deum, quem toties offenderunt, vel semel verè convertantur. Patescit itaque, quô pactô absolutionis dilatio queat prodesse illis, qui sine absolutione è vivis decedunt.

Verùm, repones, evenire potest, ut inscio Confessario ritè dispositus sit, cui absolutio differtur: ut objectio urgeat;

pona-

ponatur esse quidem sufficienter dispositus ad justitiam per absolutionem consequendam, sed non ut eam consequatur sine absolutione; ponatur insuper, quòd hanc dispositionem non augeat, saltem non eò usque, ut sine absolutione sufficiat: ad respondendum, singula expendamus & primò quidem, ut hujusmodi pœnitens sât fuerit conversus, quantum ad absolvendum exigitur, debet illi fuisse verum, sincerumque malitiæ peccatorum odium; deindè necesse est, ut ad Deum per virtutes Theologicas ad justificationem necessarias fuerit conversus, & prætereà, ut ipsi fuerit non velleitas dumtaxat aut vacillans voluntas omittendi peccata mortalia, sed absoluta voluntas & firma renuntiandi mortalibus, omnibus quidem & æternùm: si hoc pacto foret dispositus, nonne res foret imprimis demiranda, quòd divina providentia sineret eum vitâ defungi tam infeliciter, eo, inquam, tempore quô Confessarii id suadentis obsequitur judicio? Sed hoc magìs demiraberis, si perpendas, quòd ut talis damnaretur, debuisset providentia divina destinato consilio decrevisse; ipsum

ipſum in vindictam ante-actæ vitæ in flammas infernales præcipitem dare: Facietnè id Deus Opt. Max. homini ſeſe hunc in modum paranti; cui tanto ante-hæc tempore pepercit Divina ejus bonitas, etiam tunc quando peccati fervor ebulliebat, & crimini immergebatur? Aliter ſanè, aliter fidendum Deo: Ad illos mihi ſermo eſt, qui nôrunt Divinam providentiam attingere à fine uſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuaviter; hoc eſt, ſine qua nec folium arbore, nec capillus capite decidit, nec paſſer in terram: quantô minùs fiet, ut eâdem moderante, homo corripiatur ægritudine, aut morte abripiatur? Illos, inquam, alloquor, qui præter reliquos Ethnicorum errores & illum deteſtantur, quo rerum eventus fortunæ commento adſcribere ſolebant.

Ad hæc aliquis: nemo inficiari auſit, quin equidem amplius periculi ſubeat conſuetudinarius non abſolutus è vita decedens, quàm abſolutus. Non diffiteor, ita ſe rem habere, ſi æquali cum diſpoſitione ambo moriantur, quapropter illis abſolutionem poſtulantibus in

in mortis periculo (ubi fieri poteſt) eam impertiendam eſſe diximus; etiam non præhabitâ dictâ mutatione vitæ.

Reponent alii: abſolutio, ut dicimus, differenda eſt iis indubie, qui productâ conſuetudine, in uno alterove peccatorum mortalium genere, percipiendæ abſolutioni horulæ aut dimimidiæ ſpatio ſe præparârunt: ponantur itaque centum hujuſmodi, quidam illorum ſaltem pauciſſimi ritè convertuntur, deinde hoc poſito, pronum eſt fieri, ut ex illis verè converſis, quamquàm pauciſſimis unus aliquis verè diſpoſitus moriatur abſolutione fruſtratus; atqui tantum eſt malum iſtud, ut ob id praxi huic non ſit ſubſcribendum, ergo &c.

Primæ poſitioni ſive interim vera ſit, ſive minùs, non obſiſto, ſed quod inde conficiunt, unum è pauciſſimis illis facilè mori non abſolutum, haud equidem aſſentior: quomodo enim, ſi pauciſſimi eorum ritè convertantur, natum eſt fieri, ut illorum aliquis obeat priùs, quàm ſub ultimum vitæ diſcrimen abſolutione donari queat, ubi tanta eſt non Confeſſariorum dumtaxat, ſed & Sacerdotum copia? Verùm ut & hoc demus:

prorsùs dissentior ad istud unius incommodum avertendum, in illam eundem esse praxim, quæ incommoda incomparabilitèr majora, non unius quippè, sed infinitè propemodùm hominum multitudinis adducit.

Etenim è centum præproperè absolutis, quantus erit illorum numerus, quibus indignè absolutio impensa fuerit! atque iterùm ex his malè absolutis, qui tanto sunt numero, quantò faciliùs accidet, ut plures antè è vita demigrent, quàm denuò absolvantur? Quantô hoc facilius, quantôque majori cum animarum discrimine eventurum nemo non videt in tam frequenti sine effectu absolutorum numero; tantô omnium suffragatione æquiùs impugnamus praxim illorùm qui plurimos in æternæ salutis periculum præmaturâ absolutione adducunt, dum è tanto numero unum aliquem periculo liberare nituntur, qui fortè dispositus, forsân moriturus foret, nullius forsàn ne Sacerdotis quidem habitâ copiâ.

Prætereündum minimè, quòd cæteri è centum juxta aliorum praxim sine effectu absoluti, quàm rarissimè sint
verè

verè convertendi,etsi vitæ superstites posteà absolvantur; rarissimè, inquam, verè convertentur, si simili erga illos utantur absolvendi facilitate; nam illa ipsos tandèm eò adducit, ut credant facillimè æternâ beatitudine se potituros, modò sub extremum vitæ spiritum dimidiam se disponendo horam impendant, velut antehàc in more positum habuerunt.

Omnes igitur, qui hisce trutinatis rectè calculum ponent, facilè intelligent, quàm paucos è centum consuetudinariis, si tamen unicum, servabit illa quorumdam praxis, ubi ex adverso judicaturi sunt, multos ad æternam felicitatem perducendos, si nullus illorum citra justam necessitatem à Confessario ullo absolutionem impetret, nisi præviâ morum mutatione se conversum ostendat, aut luculentas insolitæ pœnitudinis testificationes ediderit.

Postremò unum, velim, expendant ii, quæ hæc movet objectio; quó pactô non insimulent benignam matrem Ecclesiam severitatis, quæ annos aliquot pœnitentiæ absolutioni præmissos olim voluit, neque Sacro Baptismatis fonte (absente justâ necessitate) tinxit, nisi Paschæ

 aut

aut Pentecostes festivitate appetente: Nihilne tum periculi, ne quis pœnitentum aut Catechumenorum decederet sine Sacramento, quô nullum magìs necessarium?

OBJECTIO II.

Multi viri docti & probi aliâ praxi usi sunt, & hodiedum utuntur.

NOn pauci ad doctrinam S. Caroli amplectendum tardiores sunt, quia officio suo deesse sese non existimant, modò id agant, quod multi, quos Viris probis & doctis annumerant: verùm multinè in alia sint praxi (veluti ponitur) facti, quod aiunt, quæstio est, nec hanc ad rem admodum facit; neque enim quid fiat, ast quid factum oporteat, hîc inquiritur: potestnè enim vir prudens persuasum habere, quidpiam sibi licitum fore, quia à multis id fieri conspicatur? Palàm contra nititur Cardinalis Bellarminus: " Si quis (ait in opusculo " ad Episcopum Theamensem Nepo- " tem suum) velit in tuto salutem " suam collocare, & simul oporteat

cum

„eum Episcopali officio fungi, is om-
„ninò debet de octò controversiis cer-
„tam veritatem inquirere, & non re-
„spicere, quid multi hoc tempore di-
„cant; & si rei certitudo non possit ad
„liquidum apparere, debet omninò tu-
„tiorem partem sequi, & nulla ratione,
„nullius imperiò, nullâ utilitate tempo-
„rali propositâ, ad minùs tutam partem
„declinare; agitur enim de summa rei,
„cum de salute æterna tractatur, &
„facillimum est conscientiam erroneam
„aliorum exemplô induere, & eô modô
„conscientiâ non remordente ad eum
„locum descendere, ubi vermis non
„moritur, & ignis non extinguitur".
Jure meritissimo Bellarminus commonet Nepotem suum, ut nihil moretur ea, quæ id temporis multi tum dicebant, tum in actum deducebant.

Ut liceat mihi hâc in re eidem accinere: si quis velit in tuto salutem suam collocare, & simul oporteat eum Confessarii officio fungi, is omninò debet de hâc controversiâ certam veritatem inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant, quidvè faciant; agitur enim de summa rei, sua nimirùm

& proximi salute. Quod verò Bellarminus monet, non agendum ex dicto multorum, multò magis jam amplexandum, ex quo enim hoc tam scitè quàm prudenter Vir eminentissimus monuit, mirum & deflendum in modum novarum probabilitatum, ut vocant, numerus succrevit, adeò ut hâc tempestate longè periculosius sit, certam veritatem inter tot falsitatis involucra non studiosè indagare; sed iis subscribere, quæ multi Scriptores præsertim novelli & recentiores excudunt, circumferunt, & venditant.

Quænam ergò securitas adhærentibus doctrinæ illorum, quibus primæ regulæ loco est illud manifestè falsum: *Quod est speculativè probabile, est practicè certum*, seu quod idem valet, *Quidquid unus alterve scriptor doctus*, sic docent, *& probus vel dubitando dicit licere, certò licet?* Ne umbra quidem securitatis, nisi qui dubia vocarit certa, aut primò falsa censuerit primò vera. Nihil proindè veritatis sectatorem remoretur, quicquid ab iis, qui istiusmodi pseudo-regulis insistunt, adversùs hanc doctrinam reponatur.

OBJECTIO III.

Consuetudinarii dimissi non redibunt, sed ibunt aliò, ubi absolventur.

Meticulosa sanè quorumdam objectio: mihi quidem omninò fit verosimile, quòd redibunt quàm plurimi, si prudenter, & eo modo, quem Dub. 10. hujus Quæst. tradidimus, cum illis agatur. Insuper multò satius est consuetudinariis imparatis, ut sine absolutione etiam non reversuri discedant, quàm ut sacrilegè absolvantur: siquidem hoc etiam situm est utilitatis in negatione absolutionis, ut magis considerent miserandum animæ suæ statum, ac proinde horror quoque illis incutiatur; cum è contra absolutio, si illis impenditur, oculos mentis obcœcet, & in damnabili isto statu præposterè securos reddat & quietos, omnibusque quæ toties recensuimus, malis & incommodis fenestram aperiat.

Huic accedit, quod pœnitentes sine absolutione dimissi, quamquàm subindè tempore condicto non revertant,

Neque hoc deterreat, quod alii Confeſſarii illos forſan abſoluturi ſint (quo tamen abſtinendum erat, vel eo ſolum titulo, quòd juſtam ab alio paſſi ſint repulſam) quia Confeſſarius quiſpiam non adſtringitur officii ſui leges aut limites tranſgredi, quamquàm vereatur, ne quis aliorum contra officii ſui rationem ſacrilegè quid ſit auſurus. Exemplum habes in judice: inhibitum illi eſt ſententiam iniquam dicere, tametſi jure metuat, ne judex, ad quem cauſa evocabitur, ſententiam laturus ſit iniquiorem.

Et denique metum hunc eximent frequentes Confeſſarii, qui ab hiſce dogmatibus ne latum quidem unguem recedunt, ad quos, tantùm abeſt, ut non redeant dimiſſi; ut & altero plures adfluant pœnitentes.

OBJECTIO IV.

Consuetudinarii juxta hanc doctrinam vix umquam poterunt confiteri, cum ante confessionem vix umquam erunt dispositi, sicut requirimus.

HÆc Objectio sic ulteriùs complenda: vel enim confessionem procrastinabunt, donèc habeant dispositionem, quàm, ut absolvantur, postulamus; vel illâ dispositione nondùm habitâ confitebuntur. Posterius non rectè dicetur, quorsum enim venient dimittendi eâ de causâ, quòd festinent nimiùm confessionem? Neque priori suffragandum, ut differant, donec multò priùs tempore vitam seriò commutarint, necesse enim foret, ut magni & inveterati peccatores confessionem in annos, imò in finem usque vitæ producerent, quia absque Confessarii operâ nunquàm fortassis vivendi consuetudinem, ut fas est, exuturi sunt.

Qui confessionem & absolutionem sât discernit (aliud enim à confessione est absolutio) facilè hanc Objectionem

nem explanabit : consuetudinarii quicumque, simul atque seriam conversionem meditantur, prudenti Confessario statum & animum candidè confiteantur, hoc est, Confessario, quem è multis prudentiorem deligent, sinum conscientiæ suæ sincerè aperiant, non ut illicò absolutionem referant, sed ut vulnere suo utcumque detecto, discant à Confessario, quomodo medelam adhibeant, quî peccatis jam apertis conversionem suam inchoënt, & quô pactô se absolutione dignos reddant: quod ut faciant, in Concionibus & Catechismis identidem inculcandum, atque ut conversio per divinam opem inchoata perficiatur industriâ & experientiâ imo & precibus Confessarii, poterunt aliquoties ad Confessarium ante absolutionem reverti.

Ecce utilitas ut prima, ita non minima festinatæ confessionis, cui proxima est, quod crimina aperire, & quidem Christi Vicario faciliorem reddat conversionem.

OBJECTIO V.

Molestum est nimis doctrinam hactenùs traditam in praxin deducere.

QUam à praxi hujus doctrinæ molestiam timent Confessarii, potissima fortassis, quòd ei resistant, ratio fuerit: verùm si quid forsan molestiæ occurrerit, principio esse videbitur; ast hæc in magnam post abibit commoditatem, siquidem hæc praxis inductura est veram conversionem, & frequentem proindè impeditura relapsum, atque ita numerosam ad Confessarii tribunal identidem confitentium multitudinem diminuet.

Accedit & hoc commodum, quòd Confessarii auditâ confessione tàm commodè quàm maturè expendere poterunt obligationes restituendi, reliquum pœnitentis statum opportunè disquirere, atque interim cogitare, quæ ei congruant remedia, quæ vitandæ occasiones, quæ pœnitens adhuc edocendus, quas ei injunctas oporteat pœnitentias & plura alia, quæ singula

per

percurrere eo momento, quô absolutio foret impendenda, onus est, cui ferendo nullus Confessarius par sit.

Jam verò, ut imaginariæ difficultatum nubes, quæ hanc praxin obscurare videntur nonnullis, dissipentur, tum in Concionibus, tum in Catechismis sæpè-numero hac de re ad populum verba facere oportet. Non parùm quoque profuturum est, si eâdem operâ ostendatur, quando & quâ datâ opportunitate integrum sit Confessarium conveniri ab illis, quibuscum agere longiorem postulat moram: quam è re illorum futurum sit, ut tempus Paschæ, aliaque Festa solemniora, si non absolutionem prius accepturi, Confessionem ut minimum instituturi præveniant.

Nolim tamen, quis credat, hæc eo à me dicta animo, ac si omni Confessarium molestiâ eximerem. Qui Christi judicis tribunal occupat, Christi patientis exemplum refugit? Expendat, amabo, quisquis Confessarium agit, se in vineam Domini missum, non ad otia sectandum, & vel unius animam (ad quam totus mundus nihil est, quæque

tanti

tanti stetit Salvatori suo) centuplo majori facilè dignam esse labore : neque hoc solùm, sed & suas pœnas pro peccatis subeundas hisce molestiis redimit Confessarius, & æternâ mercede laborem cumulatissimè pensabit Deus.

Et denique, ut ut est, si salutis suæ satagit Confessarius, vel in tremendum hoc tribunal se non ingerat, vel justum laborem Dei & proximi causâ non detrectet. Sunt qui aliàs hoc tribunal detrectârunt, & videntes modò plurimos huic praxi tàm feliciter insistere, divino huic operi sese lubentes accinxerunt.

OBJECTIO VI.

Non postulatur ista mutatio morum post consuetudinem ad venialia, ergò neque post consuetudinem ad mortalia.

NIhil usque dictum de venialibus, nec instituto huic rectè congruit, doctrinam de venialibus misceri ei, quæ de mortalibus hîc traditur; inter mortale quippè & veniale magnum est chaos discriminis, de quo hæc breviusculè: Primum hoc interest, quod venialia

nialia unius generis remitti queant, quantumvis in animo lateat affectus ad alterius generis veniale; secùs est de mortalibus.

Deinde malitia mortalium (utpotè longè immanior) majus postulat odium & detestationem, tum etiam majorem recidivæ cautionem, &, quod ex his consequitur, propositum firmius: quare corruit ut minimùm illatio argumenti, quod opponitur.

Præter hæc, non est, quòd quis dubitet, quin ad venialium remissionem debita dispositio quoque in Pœnitentiæ Sacramento requiratur, necessum namque ut pœnitens, veniales noxas, quas confitetur, verè & ex animo detestetur, & insuper sincerè vitare statuat. "Habe, S. Salef. Introd. p. 2, cap. 19, „inquit S. Salesius introducens ad vi„tam devotam, semper veram displi„centiam de peccatis, quæ confiteberis, „quantumvis parva sint, cum firma resolutione deinceps emendandi te". Quibus mox subjicit: " Abusus est confi„teri aliquod peccatum, cujuscumque „generis illud sit, sive mortale, sive ve„niale, absque eo, quod velit se ab eo purgare". Hæc ille; quibus addam ego, quod

quòd & novum peccatum committi possit instituendo solorum venialium confessionem; eâ nimirum cum dispositione, quæ nequaquàm sufficit, ut absolutio sortiatur suum effectum, qualem dicere necesse erit, si nullum è venialibus, quæ sola clavibus subjicit, satis displiceat, vel pœnitens nullum, ut par est, cavere decernat: gravi proinde periculo facilè sese exponunt, qui exiguâ cum præparatione in dies fermè singulos eadem confitentur venialia; præsertim si hujusmodi sint, ut ad illa per consuetudinem multùm sint propensi.

Hinc continuò consectarium non est improbandam esse quorumdam Sanctorum praxin, qui admodùm frequentèr peccata sua leviora confessi fuerunt; Viri namque sanctitate conspicui penitiùs intuiti fuerunt animo cœlitùs illustrato peccatorum venialium malitiam, non secùs atque in conclavi radiis solaribus illuminato atomi visum alioquìn fugientes clariùs conspiciuntur. Illam verò malitiam sanctitate eminentes non minùs habuerunt exosam, quam agnitam, quapropter ne in

ista relaberentur, pro viribus egerunt. Si quis proinde eò enitatur, ut hanc illorum assequatur dispositionem, sequatur & confitentes, non improbabitur." Quis „enim dubitet, inquiunt PP. Tridentini, „quin venialia, quibus à gratia Dei non „excludimur, & in quæ frequentiùs labimur..... rectè & utiliter citraque om- „nem præsumptionem in Confessione „dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat", Sess. 14. cap. 5.

Verùm absolutionem à solis venialibus poscere, manente dubio, num illa doloris propositive defectu valida futura sit, dubio procùl improbandum: quorsùm enim cùm novi peccati periculo confiteri illa, quæ tot aliis mediis queunt expiari?

Hisce adversari videbuntur nonnulla Religiosorum statuta, quæ frequentem admodùm præscribunt confessionem. Ad quæ ego resp. Pium est instituere confessionem; quam nulla etiam sequatur absolutio, nec expectetur secutura, nisi quando cònstat de sufficienti dolore & proposito, aliud namque est confiteri, aliud absolvi: prætereà ejusmodi statuta nihil doctrinæ huic dero-

gant, præcipi enim iis non poteſt, ut abſolutio cum Sacramenti irreverentiæ periculo impertiatur.

OBIECTIO VII.

Chriſtus Dominus S. Petro dicit, fratri dimittendum uſque ſeptuageſies ſepties.

Videor audire, qui hæc objiciant: præcipit Deus, ut homines injurias ſibi ab hominibus illatas remittant uſque ſeptuagies ſepties, at Deus majorem impendit mortalibus miſericordiam quàm ipſe ab iis poſtulet; ſæpius igitur peccatoribus, quàm ſeptuageſies ſepties peccata etiam lethalia remittet, ſi Sacramento Pœnitentiæ ſe admoveant.

Nihil horum inficior, ſi toties nimirùm verâ intimaq́ue averſione à peccatis declinent, atque ad Deum reipsâ convertantur; totieſq́ue ſint propoſito firmo non hæſitante peccatis mortiferis, iiſq́ue omnibus & æternum renuntiandi. Vident, puto, illi quàm hinc non conficiatur, quòd pœnitentibus, quotiès ſe converſos ore ſonant, impendenda ſit abſo-

absolutio; ni forsan eò temeritatis prolabantur, ut peccatores continuè ad vomitum redeuntes, & se conversos identidem dictitantes, verè & coram Deo conversos asseruerint. Addo numquàm ostensum iri, quòd ideò septuagies septies ad Deum conversi sint, quia hominem homini septuagies septies oportet injuriam ignoscere: nisi eâdem fronte quis dixerit Deum non præcepisse, ut injurias remittamus iis, quos necdum ad Deum, ut oportet, conversos esse certissimè novimus.

Quis dubitat, Quin erga illos etiamsi necdum sint conversi, obstrictos nos reddant divina hæc præcepta: *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos... Nulli malum pro malo reddentes: ... vince in bono malum &c.* Nemo quippe, nisi à veritate Evangelicâ alienus, ambigere potest; quin uti inimicos nostros ad Deum necdum conversos odisse inhibemur, ita erga illos istis etiam charitatis præceptionibus adstringamur.

Matth. 5.

Rom 12

Perperàm ergò infertur, quòd frater septuagies septies, ut oportet, sit ad Deum conversus, quia toties debet homo homini ignoscere. Jubemusnè ergò

peccatorem post iterata toties peccata desperare ? Nequaquam : etiamsi millies & eô sæpiùs viam peccati relegisset ; etsi, inquam, idem peccatum continuè iterasset, veniæ & absolutioni semper relinquitur locus, modò constet quòd fuerit ritè dispositus.

OBJECTIO VIII.

SS. Apostoli tot millia hominum olim converterunt, quos & repentè & indiscriminatim baptizarunt, ergo &c.

NOn absimilem alii forsàn ex Apostolorum gestis objectionem meditabuntur ; quòd sub Ecclesiæ exordium S. Petrus Apostolorum Princeps repentè octo hominum millia geminâ nimirum Concione converterit, qui illicò sacro Baptismatis fonte quoque adspersi, & à peccatis liberati fuerunt ; horum verò plerique, quidni dicam & omnes, consuetudinarii nuncupandi fuerant, & si quipiam, illi saltem consuetudine peccatis peccata concatenandi laborabant : hoc & alios præstitisse Apostolos, arguit numerosa illicò fidelium multitudo. Non est

est igitur, quòd consuetudinariis fidelibus negetur absolutio, cum indultum fuerit ejusmodi ethnicis baptisma.

Jam pridem admodum hanc objectionem melle fluens Bernardus de conversione Matthæi, Sauli, &c. verba faciens vidit & solvit, dum illa non tam exempla, quàm miracula habenda esse duxit: & verò, toties mille infideles subitò convertere prodigio esse adscribendum, quis ausit inficiari? ita quippe oportuit, ut vera Christi fides intra paucos à misso Spiritu S. annos in fines orbis terrarum propaleratur.

Ast aliud postea visum Ecclesiæ: quorsum enim illius, si tam subitò passim consuetudinarios converti credidisset, institutum, quô postmodùm tam diuturnam, totque annorum pœnitentiam peccatoribus injunxit? Et Catechumenis Baptismum eô quô dictum, tempore distulit? Quorsum ista, si veram ad Deum conversionem tam repentè, & passim peragi, aut posteà peragendam credidisset?

Nec pluribus opus est: qui ab illis sub initium Ecclesiæ conversis ad hodiernos consuetudinarios putat ducendam si-

militudinem, expendat quantum hi à primis istis absint; sanè toto distant cælo;
Actor. 4. illorum post conversionem *erat cor unum & anima una*; invenias hodie multos, qui non præmissâ mutatione vivendi, in Paschate absoluti, vetus odium non exuunt, & rancore atque invidiâ ut antè in partes eunt: illi ab agnitâ veritate non defecerunt, & conversi piis virtutum operibus studebant; hi identidem ad vomitum redeunt, & eorundam vitiorum sordibus se commaculant: illi suam post conversionem erant *perseverantes in*
Actor. 2. *doctrinâ Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus*; hodierni verò post confessionem vix aliter vitam instituunt, quàm antè illam, & doctrinæ Apostolicæ loco habent maximas mundi: Illi
1. Pet. 4. dum antè ambulassent, *in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus & illicitis idolorum cultibus*, tantum per conversionem sunt immutati, ut de iis sacra testetur Scriptura: *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes*, scilicet gentiles, qui clarissimè intuebantur mutationem dexteræ excelsi, quâ veterem exuerant hominem, & facti erant nova creatura
in

in Christo: illi verè per conversionem abnegarant *impietatem & sæcularia desideria, ut sobriè, justè & piè viverent in hoc sæculo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere*, inquit ad Titum (quidni & idem ad Confessarios ab Apostolo dictum) *& exhortare & argue cum omni imperio*: in lenitate tamen & prudentia: ipsi post conversionem *in medio nationis pravæ & perversæ* lucebant *sicut luminaria in mundo*: fuerant *aliquando tenebræ, nunc autem* post conversionem *filii lucis*. Quantum, immane, ab iis distant, quos præcipitatâ absolutione toties hodie in antiqua relabi videmus peccata!

Tit. 2.

Phil. 2.

Ephes. 5.

OBJECTIO IX.

Si vera sunt, quæ hactenùs traduntur, Confessarius non poterit omnes die præsertim indulgentiarum ad Sacramentum pœnitentiæ accedentes absolvere.

FRequens est aliquorum adversùs doctrinam traditam querimonia: si

Confessarium oportet illorum de quibus antè, examen instituere, consuetudinarios dimittere, &c. admodùm paucos, inquiunt, matutino diei tempore absolvere poterit.

Inanis sanè querela! non hîc numerus, sed dispositio expendenda; non quot personæ, sed quales sive quomodò dispositæ absolvantur, considerandum est: præstatnè forsan multitudo, ut qui aliàs forent imparati & absolutione indigni, magnâ pœnitentium turmâ confluente idonei reddantur? Medicum insanire quilibet dixerit, qui ægros meliusculè valere, aut sanitati restitutos idcircò judicaret, quia multos visere debet.

Quid ergò tandem inducere aut movere queat Confessarium, ut in magno confitentium concursu sententiam absolutionis præcipitet? An pœnitentium dispositio? Illa, crescente confitentium numerô non crescit: an major de dispositione illorum certitudo Confessarii? Quô plures sunt confitentes, eô plures imparatos esse verisimile est: an (quod solùm restat) ut possit plures absolvere? Indignum est, velle potius multos absolvere malè, quà paucos bene; imò qui

qui id vellet, nonne mortem adſciſceret ſibi, pœnitentem admodùm frequenter mortuum linqueret, & Deum mortali offenderet? Sed cauſam præcipitandi abſolutionem, quam nos hîc non inventuri tam operosè indagamus, quidam fortaſſis comperiſſe ſe credent, dum ob lucrandas indulgentias, nullo examine præmiſſo, quoſlibet indiſcriminatim abſolvunt.

Neſcio, quàm cæcus quoſdam affectus impulerit, ut quoſvis tali indulgentiarum die abſolvere auſi fuerint, eò quidem uſque, ut non ita pridem pœnitentium confeſſiones dimidiarent, & ſemiconfeſſos (reclamante nequicquàm pœnitentium conſcientiâ) abſolverent. Ecquid, precor, rationis, quæ neceſſitas periculum irreverentiæ & mutilationem hîc abſtergebat? Neque enim puto illos credere, diem indulgentiis deſtinatum, aut pœnitentium multitudinem ex opere, quod vocant, operatô in Pœnitentibus diſpoſitionem requiſitam producere: ſed & religioni duco mihi, cogitare de iis Confeſſariis, quòd ex multorum abſolutione aliquid commodi temporalis aucuparentur; ſi enim ulli forent tàm

 avidi

avidi temporalium, optarem videre, quô animô ferrent, si Judex in temporalibus, causâ vix aut mediâ solùm inspectâ, sententiam præcipitaret ideo, quia multas lites decidendas habet, è quibus rem suam auctum iri expectat.

Manet igitur, quod antè, indignum esse velle potius absolvere multos malè, quàm paucos benè. Quorsùm infelici pœnitenti tot confessiones, tot communiones sacrilegæ? Ut anima, inquit, per indulgentias, quas absolutus lucrabor, è Purgatorio liberetur: nec indulgentias consequetur malè absolutus, & est, quod timeatur, ne piacularibus è flammis non solùm unam non liberet, ast duæ forsàn animæ inferni periculo exponantur. Plus igitur indulgentiarum pœnitentibus suis eo die procurabit Confessarius, si potius paucos absolvat benè, quàm multos malè; plus quoque & purgandorum & pœnitentium suorum animabus hâc ratione proderit.

TRACT.

TRACTATUS II.

DE

Occasionibus Peccatorum Mortalium.

QUÆSTIO I.

Quid occasio peccati Mortalis? Et quotuplex Auctore S. Carolo?

OCcasionem peccati Mortalis vocat S. Carolus omne id, quod mortiferê peccandi causam ministrat: hanc partitur in occasionem per se, & per accidens peccati mortalis. Occasionem per se nominamus quod suâ naturâ natum est ducere in mortale peccatum, sive illud merè internum fuerit peccatum, sive unà externum.

Hîc

Hîc adnotandum: haud necessum esse, ut occasio, quam vocant per se peccati mortalis, semper in illud reipsâ trahat, neque requiri, ut ordinarie aut plerumque, sive sæpiùs trahat, quàm non trahat; sufficit enim, ut ex suâ ipsius naturâ saltem, hoc est, consideratâ communi hominum infirmitate in illud pertrahere nata sit.

Occasio peccati mortalis per accidens id dicitur, quod tametsi naturâ suâ non est natum trahere ad mortale, hoc est, spectatâ communi hominum infirmitate; natum est tamen fieri, ut hanc personam ob peculiarem ejus infirmitatem, aut aliam ejus indispositionem specialem in peccatum lethale trahat.

Hæc occasionis per accidens descriptio notum facit, quonam modo id, quod personæ infirmiori seu resistere minùs potenti est occasio per accidens, non continuò nuncupandum sit occasio per accidens alteri fortiori, magisque ad resistendum firmatæ.

Observandum, quòd in hisce, quæ dicenda sunt, de occasionibus tum vitandis, tum resecandis, intelligere oporteat, si id quod erat occasio peccandi,

reti-

retineat qualitatem occasionis, ita ut de eo maneat verum, quod natum sit adhuc trahere in peccatum.

DUBIUM UNICUM.

An fieri possit, ut detur occasio peccati saltem per accidens, quam pœnitens deserere nequit absque peccato, aut saltem non sine periculo majori, aut æquè magno, quàm illud est, quod ab ipsâ occasione nascitur?

PRius nonnunquam fieri posse, docet exemplum mulieris nuptæ; quæ suam ob infirmitatem facillime irritatur leviusculis conjugis sui & liberorum defectibus, & eapropter illis grande assuevit imprecari malum; huic quippe mulieri idcircò maritum liberosvé deserere, nequaquàm licet. Neque Religioso ob similem ad Superiores collegasque respectum Monasterio egredi licitum foret.

Posterius famuli exemplo comprobatur: si ille sit in obsequio familiæ admodùm honestæ, ex aspectu tamen filiarum ancillarumvé illius non semel in animo pravæ libidini consentit, tametsi

etsi illæ singulari sint castitate, ac proinde, si moraliter loquimur, ob suam ipsius pravam dumtaxat indispositionem delinquit: vel denuò, occasione famulorum ibidem commorantium sæpe in mortiferam effervescit passionem; ast ob suam quoque singularem dispositionem. Hæc universa eò se possunt habere modò, ut quocumque locorum famulus desertâ hâc familiâ migrarit, in pericula multô majora ubique sit incasurus; si non in hujus, saltem in alterius generis peccata incurrendo, ac proinde suppositioni includo, quòd ipsa solitudo foret ei magìs periculosa.

QUÆSTIO II.

Quæ ratio doctrinæ quam Sanctus Carolus tradit his verbis: *Deinde nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus, simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt?*

HÆc illius doctrinæ ratio & fundamentum: quia vitare hujusmodi occa-

occasiones, medium est moraliter loquendo, ad de cætero non peccandum tali personæ necessarium; jam verò qui media fini cuipiam obtinendo necessaria adhibere renuit, arguitur non seriò finem istum desiderare. Ex. gr. non seriò scientiam appetere eum dicimus, qui studium detrectat.

Neque interest, quod reponet quis: non pecco, nisi voluerim, positâ etiam peccandi occasione; quia voluntas interim tam imbecillis est, ut occasione positâ sit peccato consensura. Quisquis igitur occasiones deserere renuit, eo habendus est loco, quô ille qui peccare de cætero non seriò statuit. Imò, quod plus est, qui occasiones mortiferè peccandi cupit continuare, si moralem consulis æstimationem, peccare idem mortaliter cupit. similitudine quod dico, patescet magìs: qui montem tectum glacie cursu conscendere meditatur, velle casum censendus, est quamquàm non expressus sit ei cadendi animus, imò expresè casum nolit; hujusmodi namque non cadendi voluntas est protestatio, ut eam Jurisperiti nuncupant, actui contraria.

Quæ hactenùs diximus, ſic accipienda ſunt, ut eæ, de quibus agitur, occaſiones vitari queant abſque peccato, & abſque periculo majore aut æquali iſti, quod ex illis occaſionibus naſcitur.

Stolidum & clarè falſum eſt, quod imperiti quidam vel maligni dicunt: quoddam, dum ſibi aliiſvè eſt occaſio mortalis peccati, ideò non neceſſariò vitandum eſſe, quia eſt tantùm occaſio per accidens: jam enim patet, hâc in parte inter occaſionem per ſe & per accidens nil diſcriminis intercedere.

DUBIUM UNICUM.

Quid agendum cum pœnitente, qui eſt in occaſione peccati mortalis, quam ſine peccato, aut ſine majori ſaltem, vel pari periculo peccandi vitare nequit.

QUæſtionis ſuperioris dubium comitabantur nonnulla exempla earum occaſionum, de quibus in hoc titulo, & inter hæc exemplum famuli, qui ſervit familiæ perquàm honeſtæ, tamen filiarum ancillarumvè (etſi ſingulariter caſtæ ſint) occaſione, frequentèr internæ libi-

libidinem aſſuevit conſentire, atque id, dum vel ſola illarum cogitatio animum ſubit; quod ob ſingularem illius indiſpoſitionem ponebatur contingere, ita quidem, ut quocumque deſertâ hâc familiâ migraret, longè majora peccandi pericula foret reperturus. His poſitis, famulo huic nequaquam præcipiendum eſt, ut eam deſerat familiam, neque jubendum ſimiliter; ut pœnitens, quas abſque peccato deſerere nequit, relinquat occaſiones, cujus generis illæ ſunt, quas gemino ante-dicti dubii caſu delineavimus.

Verùm huc quæſtio redit, num illis, ex. c. famulo illi impendenda ſit abſolutio? Nulla indagine opus eſt, ut quis videat hujus diſpoſitionis mutationem eſſe medium neceſſarium peccato mortali fugiendo, quandoquidem ſingularis illa indiſpoſitio ſit quædam peccati mortalis interna occaſio, ſi ita loqui liceat: ſicut igitur externa peccati occaſio tollenda, ita internam quoque tollere neceſſe eſt. Quemadmodùm itaque neganda eſt abſolutio ei, qui externam occaſionem tollere renüit, ſic & ei negatam oportet, qui ſe ab interna eximere

 detre-

detrectat, adhibendo nimirum media necessaria, quibus hujusmodi indispositio cessabit.

QUÆSTIO III.

Quæ ratio exempli primi occasionum per se, positi à S. Carolo?

PRimò loco hanc statuit Sanctus Carolus: "Artem profiteri tabellis charthaceis, vel aleis ludendi", quod verisimiliter occasionem per se mortalis peccati idcirco vocat, quia istud natum est ad jurgia, odia, & dissensiones inducere; blasphemiisque, dolis & murmurationibus contra Dei providentiam viam sternit: omitto prodigalitatem rei familiaris, vitæ Christianæ specialiumque officiorum neglectum.

Huic igitur non absimilis erit occasio, profiteri consuetudinem popinas frequentandi; illicque medios propemodum dies fermè quotidie insumere potitando, otiosè confabulando, & alias id

genus ineptias, quæ iſtud vitæ genus comitari ſolent, exercendo.

Quô magìs appareat, quòd conſuetudo illa ſit peccati mortalis, immò plurium per ſe occaſio, diſpertiri lubeat peccata illa in ea, quæ ipſum potitationis locum ſpeciatim concernunt, & ea, quæ potitantium familiam attingunt. E primò quidem genere ſunt, inebriari, & ebrietates aliorum fovere, libidinoſa effutire, aut ea effutientibus arridere, in detractiones erumpere, jurare & jurantibus applaudere aut his, ubi oportet, non obſiſtere: ad hanc claſſem redige, iraſci item & rixari. Præterea (etiamſi frequens ſit) quòd hi ipſi unà profiteantur artem tabellis chartaceis, vel aleis ludendi, aut ſanè quàm ſæpiſſimè iſtis ludant.

Ex altero genere ſunt hæc: otiando, potando, &c. rem familiarem ad anguſtias redigere, diſſidia movere ſe inter & uxorem, vel parentes, quorum pecuniæ prodiguntur; præter hæc, rei domeſticæ curam, Chriſtianamque liberorum educationem neglectui habere; quin & ſuæ ipſorum vitæ, ut Chriſtianè eam inſtituant, non ſatagunt. Hîc obſervatu dig-

num, quòd modo prorsùs incongruo dies Festos colant, & jejunia observent.

Si quis negare ausit, dictam consuetudinem popinas fermè quotidiè obeundi, occasionem esse peccati lethalis, rectâ secum reputet, num consuetudo illa non sit nata, ut homines eâ imbutos in aliqua istorum, si non cuncta, mortalia pertrahat: si huic non possit non assentiri, istam consuetudinem quoque peccati mortalis, aut plurium occasionem esse suffragetur, necessè est: si quid tamen assensum adhuc remoretur, expendat penitiùs, quomodo S. Carolus professionem tabellis chartaceis, vel aleis ludendi, occasionem peccati mortalis esse asserüerit: expendat insuper quo modo, aut quo nexu cum ejusmodi vita quotidiana componi possit, aut consistere hominis Christiani officium, quòd est: Deo, non sibi vivere; quærere primò Regnum Dei, & justitiam ejus &c.

Sanctus Carolus verbis citatis subnectit: "Domum tenere in hunc finem aliis paratam", hoc est, domum tenere paratam illis, qui dictam ludendi artem profitentur. Si hoc peccati mortalis

talis dicenda est occasio, quidni igitur & habere domum, potum, obsequia & his similia parata alliciendis fovendisque jam depictis conventiculis, hoc est, illorum, qui conflarunt sibi consuetudinem popinam illam frequentandi, & illic in dies fermè singulos potitandô, otiosè fabulandô &c. medios propemodùm dies, prout dictum, transigendi?

Haud equidem, repones, hujus peccatorum occasionis rei sunt caupones: Respondeo, pari ut minùs fundamento id de cauponibus asseritur, quod de iis, qui domum tenent paratam illis, qui profitentur artem ludendi chartis vel aleis, asserüit S. Carolus: ne tamen ratione destitutum videatur nostrum Responsum, cauponibus id peccati mortalis occasionem esse hunc in modum probo: quia hinc natum est evenire, ut & ipse caupo ad quædam è dictis facienda trahatur, deinde ad multis, si in se illa forsan caveat, consentiendum dum ab aliis patrantur; coram Deo autem rei sunt, " *Non solùm qui ea fa-* Rom. 1.
" *ciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Huic accedit, quòd caupones plurimis etiam cooperantur: nec est,
 quòd

quod mireris, nos hunc in modum de isto cauponum genere loqui si expendere lubet similitudinem, quæ caupones istos & lenones intercedit: quôque similitudo sit accuratior, illos puta lenones, qui non libidinis sed lucri gratiâ istud turpitudinis exercent. Absit tamen, ut caupones omnes dictis involvamus, aut horum lenonumque peccata paria putemus.

Quæres, si caupo unà solùm vice compotantium sodalitia foveat, eorum scil. qui signis palàm faciunt se potui ad ebrietatem usque die isto indulturos, aut manifestè ex eo, quo se comparant modo id futurum videat, licebitne cauponi potum quamdiu, quantumque illi potitare cupiunt, absque mensurâ ministrare? Nihilò magìs, quàm impudico consortio libidinis irritamenta inducere leno sinitur: sicut hîc ponimus, quod & leno & caupo id lucri gratiâ dumtaxat faciant; ita in modo peccatis aliorum cooperandi, non in gravitate culpæ similitudinem collocamus. Ergo, inquiet quis, uti lenonem, ita & cauponem agere pariter semper illicitum erit: intulerit hoc ille, cui ineptire lubet, ego sequelam responso dedignor.

Rectiùs

Rectiùs in hoc peccato cauponibus aſſimilaret illos, qui dum quid vehendum habent, aut quodpiam huic ſimile opus faciendum, aurigis, ruſticis, vicinis, vel id genus operariis mercedis loco (quod multis familiare eſt) ſympoſium aut quid ſimile pro loci conſuetudine extruunt, quô illos potu, quem ſine menſura & modo miniſtrant, ſeſe ingurgitaturos atque inebriandos prævident: quod hiſce vitio datur, non uno nomine magis dedecet Eccleſiaſticos, ſi qui hanc conſuetudinem (quod utinam abſit) exemplo ſuo fovere videantur.

Verùm quos peccato involvimus caupones, immunes fortaſſis reddet conſuetudo iis caſibus, quos ponimus? Quæ lenoni culpam abſtergere nequit conſuetudo, nec cauponi poterit, niſi jus naturæ immutare velis. Num igitur cauponi, qui dicta intermittere noluerit, abſolutio neganda? Omninò, quod non obſcurè ex dictis conficitur.

Plenis hîc buccinis occlamatur: nulla hæc cauponibus perſuadendi ſpes affulget, quapropter connivere, & tacitum ea præterire ſatius fuerit. His reponam illicò, quòd & conniventia & ſilentium

nihil quicquam proderunt, at nocebunt quam plurimùm: neque enim omnes, qui cauponam exercent, his ita agglutinati ſunt, ſed ſpem mihi faciunt non mediocrem, hæc eximio cum fructu dictum iri ad eos, qui ſe verè Chriſtianos dici volunt, ſeu qui vitam ex Chriſti legibus inſtituere
Matth 22. ſtatuunt: cujuſmodi leges ſunt, *Diliges Do-*
Matth. 6. *minum Deum tuum ex toto corde tuo. Quærite*
Matth. 5. *primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus. Quod*
Lucæ 14. *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue &c. Qui non renuntiat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* ſin autem tale vivendi genus malunt, quô hæc ad ſe nihil ſpectare innuant, quis miretur illos dici abſolutione indignos?

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quomodo diſcrepant tria ſequentia occaſionis per ſe exempla: aliquam, quacum ſit peccatum, apud ſe tenere talem apud alium ſuo rogatu fovere, cum tali quocumque modo in iiſdem ædibus habitare?

SAnctus Carolus nomine perſonæ quacum peccatum committitur, ſignificare illam videtur, cum qua quiſpiam crimen adulterii, aut fornicationis committere adſolet, vel commiſit aliquoties: hæc quandoque domi detinetur tamquàm ancilla ab hero, vel alio ſubjecta modo; hic primus eſt caſus. Secundus eſt: quo illa domi ſervatur aut ibidem fovetur ab alio ad gratificandum illi, qui crimen cum illa patrat. 3. quando ambo criminis complices iiſdem utuntur ædibus, & illorum alter alteri non ſubji-

citur: ex. gr. famulus & ancilla; item filiusfamilias & ancilla.

QUÆSTIO V.

Quæ ratio horum exemplo-plorum?

PRimum illorum merito vocat S. Carolus occasionem per se peccati mortalis, quia præter innatam in libidinem animi corrupti propensionem, singularis quædam in illis, & multô vehementior ex mala præteritorum habitudine orta, & à fœdis relicta imaginationibus comperiri assuevit inclinatio; quam conversatio huic cohabitationi conjuncta mirum in modum auget & irrîtat. Exuërunt quoque hujusmodi personæ Dei timorem, & humanum, qui ad invicem erat, pudorem, quibus aliàs nihil fortiùs, nihil efficaciùs in iis tales illecebras reprimit & obsistit, & (quod hîc singulare) timor infamiæ apud alios incurrendæ, qui scelera ista alioqui cohibet, hoc casu animos potiùs addit illi, qui

qui timet, ne à complice traducatur, & incentivum eſt, ut in novas libidines proruat: hæc omnia in tertio quoque caſu locum habent, quamquàm magìs, dum alter peccantium alteri ſubditus eſt.

Quod ſecundo caſu ponitur, haud evenit abſque frequenti converſatione mutua, quapropter & hîc antè allegata locum habent: quibus hoc adjungitur ſingulare, quod continuus quodammodo conſenſus in crimen opportunô tempore committendum accedat; unde primo quoque momento & peccatum eſt & peccati occaſio.

Si rogas, num dicta primi & tertii casûs occaſio poſt primum quoque peccatum commiſſum occaſio peccati eſſe poſſit: aio non eſſe ambigendum, quin crimen iſtud vel ſemel commiſſum queat perſonas iſtas in tantam pronitatem, tantumque denuò illud committendi periculum conjicere, præſertim ob deperditum jam pudorem, ut primo inter hujuſmodi perſonas ſcelere patrato cohabitatio ſit reverà peccati mortalis occaſio, & fortè ſic ſolet: hoc exploratum eſt, quòd eô major ſit iterum de-

lin-

linquendi occaſio, quô ſæpiùs commiſſum eſt peccatum.

QUÆSTIO VI.

Quid agendum, quando pœnitens in aliqua è tribus expreſſis ante occaſionibus verſatur?

SI pœnitentem in aliquâ è tribus iis occaſionibus deprehendat Confeſſarius, illa priùs reſcindenda eſt, quàm impendatur abſolutio: reſecandam eſſe quidem docent ea, quæ ſecunda hujus Tractatus quæſtio complectitur; quibus modò adjicimus, quòd oporteat *priùs* reſecare, quàm abſolutionis beneficio potiatur: ſic documento nobis eſt S. Carolus, qui dictis occaſionibus, atque aliis recenſitis, ſic ait: " Itaque ſi pœ-
„ nitentem iis, aut ſimilibus impedimen-
„ tis irretitum eſſe perſpexerit, ipſaque
„ occaſio talis ſit, quæ tum etiam reipſa
„ exiſtat, veluti quòd concubinam alit,
„ vel quid hujuſmodi, Confeſſarius

„ eum absolvere non debet, nisi priùs „ illam ipsam occasionem prorsùs abscindat". Non obitèr hîc legendum, quod hisce inculcat S. Carolus *prius rescindendam* occasionem.

DUBIUM I.

An tres occasiones antè proposita tolli debeant; non obstantibus gravibus in re temporali incommodis?

FInge claritatis ergò mulierem, cum qua peccatum committitur, viro cupiam esse perquâm utilem, velut si uxoris defunctæ soror cohabitet viduo, cui est numerosa proles, & illa sollicitudine prorsùs maternâ rem domesticam administret; vel absque infamiæ notà disjungi nequeant; vel complex separata crimen detectùra sit, quia virum pro ea, quâ est dignitate vel statu, illud magìs dedecet; vel aliud temporale incommodum impendeat pœnitenti.

Quód & his temporalibus incommodis positis occasionem tollere necesse sit, luce meridiana clariùs Legifer Christus docet: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat* Matth. 5

zat te, erue eum, & projice abs te : expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam: & si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te : expedit enim &c. nihil adeò certum, adeò perspicuum ; quàm divinam Veritatem hisce docere, quòd nihil possit accidere homini tàm utile, tàm charum, tàm necessarium in mundo, quin abscindendum sit & abjiciendum, si ruinæ spiritualis causa fuerit.

Non malè hîc congruunt, quæ S. August. agens de hâc Christi sententiâ docuit lib. 1. de serm. Dom. in monte. Certiùs enim est, quàm ut ratione stabiliatur, quòd incommoda illa temporalia sint mala multô minora, quâm periculum tanti, tamque fœdi peccati non semel dumtaxàt (quod plus satis esset) sed toties committendi, si ejusmodi occasiones non tolluntur. Dictæ Christi Domini sententiæ adjiciendæ fuissent & Lucæ 14. hæ : *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ibidem. *Qui non odit patrem suum. . . . . adhuc autem & animam* Matth. 10. *suam, non potest meus esse discipulus. Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus.* Adjiciendæ fuissent, inquam,

quam, nisi prima sententia assertionem nostram affatìm communiisset, & tàm clarè omnium oculis illius veritatem commonstrasset, ut aliis nihil opùs.

Ex his rectè quoque arguitur, quòd in circumstantiis dictorum casuum mulier non sit excusanda à separatione, quòd complici adhuc cohabitandô speret fore, ut secum Matrimonium ineat; imò timor ipse complicem offendendi innuit ab hâc occasione majus peccandi periculum derivari.

Ast unum superest: Quare pœnitens in aliqua harum trium occasionum manere prohibeatur, fortè enim, inquies, his desertis præcipitandus est in alias æqualis vel majoris periculi plenas, sicut dictum de famulo dub. unic. quæst. 2.? Respondeo, discrimen in eo situm est non mediocre, quia famulus ille ob suam solummodò fragilitatem in isto discrimine versabatur, hanc verò quocunque migrans secum asportaturus erat, & eapropter ponebatur ubique terrarum æqualia, vel majora reperturus pericula: Multum igitur hîc interest, quia triplici hoc casu occasio proficiscitur à complice, quâ nullum majus novæ

libi-

libidinis irritamentum; quod proinde ſeparatione ſublatum oportet.

DUBIUM II.

Quare occaſiones illæ tollendæ ante Abſolutionem?

QUemadmodùm in omnes conſtat; tollendam eſſe voluntatem peccandi mortaliter ante abſolutionem; ita & tollendam eſſe voluntatem cum ejuſmodi perſonâ non ſolùm jam, ſed vel menſibus poſteà vel annis crimen committendi, nemo ignorat. Sed hæc extra quæſitum.

Quod ad dubium propoſitum attinet, non diffiteor, quin inſolitis quibuſdam eventibus ſublatio occaſionis *per accidens* non ſit præmittenda abſolutioni, velut ſi mors imminet, timeturque ne ſi abſolutio differatur, quoad occaſio abſciſſa fuerit, mors præventura ſit abſolutionem: idem cenſeas, dum juſta neceſſitas pœnitentem ritè converſum jam nunc abſolvere compellit, & ob inſignem animi mutationem, aut alia, quæ accidunt, ponitur non eſſe, cur timeatur, ne intra

paucum

paucum temporis, quò occasionem melius tollendi opportunitas expectaretur, relapsurus sit.

Hæc verò insolita si abfuerint, triplex sese offert ratio, quâ propositâ S. Caroli doctrina confirmabitur. Prima quidem, quòd verus dolor sincerumque odium, sive sincera peccati detestatio absolutioni præmittenda sint, ac proinde vera ad Deum conversio necessaria est: hæc pœnitentes non incipiunt sibi comparare in ipsa Confessarii sede, ergò ante incœperunt; ante igitur occasiones exosæ fuerint, ac proindè resectæ, necessum est: sicut dum errore accidit, ut quis è familia sacchari loco; arsenicum incircumspectè juxta saccharum collocatum ederit; simul atque luctuosi eventûs detestatio animum patris-familias concusserit, tollet ille quantocyus errati occasionem.

Altera ratio est: non solum necesse, ut pœnitens ad Deum conversus sit, at Confessario sât innotescere debet illius conversio, atque ita imprimis tollenda sunt, quæcumque meritò conversionem Confessario suspectam redderent; quibus annumerandum, ex. gr. si

Pœnitens in hujúſmodi occaſione perſeveret.

Rationum tertia eſt: Confeſſarius operam dare debet, ut Pœnitentis cauſam ſincerè agat, ac proinde quoad moraliter potuerit, illum à talium occaſionum periculis efficaciter liberabit: quî verò id aget opportuniùs, quàm abſolutionem, donec reipſa occaſiones ſublatæ ſint, differendo?

Dicta conficiunt, auferenda eſſe pariter ante abſolutionem inſtrumenta quibus Pœnitens ad magiam, indurationem, aut his non abſimiles ſuperſtitiones uti ſolitus fuerat. Conficiunt & hoc, quòd priuſquàm abſolutio impendatur, peractam oporteat reſtitutionem ſummæ notabilis, ſi certa fuit antè obligatio, & certò abſit juſta ratio differendi. Hæc, velim intelligantur, ſicut & dicta ante, extraordinariis nimirum & inſuetis ſepoſitis, atque eâ, quam res exigit, animi prudentiâ.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Qui ſunt in occaſione, quam S. Carolus his verbis xprimit: *Perſiſtere in aſſidua collocutione, aſpectu, quotidiano congreſſu, & ſimilibus turpium amorum irritamentis?*

TAles ut minimùm ſunt ii, qui in dies ſingulos aut admodum frequenter alterius ſexûs perſonas inviſunt, vel quæ ejuſmodi viſitationes aliorum admittunt, vel unà cum aliis ad Congregationes ſolent Conventare; eô nimirùm animô, ut fabulis, jocis & luſibus aliiſque tempus, quod aiunt, fallant, aut animum relaxent.

S. Carolus quàm rectiſſimè hæc turpium amorum irritamenta vocat, quia imprimis apta ſunt plurium contra caſtitatem Peccatorum mortalium catenam nectere. At quæ, inquies, nos hîc

numeramus illicò peccata, cum ab infami illo impudicitiæ actu ut plurimùm sese cohibeant? Nimis multa numerare est, fœdas scilicet imaginationes, oblectationes venereas, corporis non sat castas affectiones: & (ut omittam turpiores corporis motiones, quæ non raro, si non impræsentiarum, posteà forsàn vel sub somnum saltem consequuntur) præterire non possum sermones illos salaces, quibus venerea vel palam vel quadam cum amphibologia & occultè, non raro cum plurium fœditatum appendice imprimuntur.

Quis denique ambigat, quin ista conversatio compluribus causa sit in ipsum impudicitiæ actum consentiendi hâc ut minùs lege, si absque infamia, si absque temporali detrimento, vel alio huic simili id posset fieri, vel certè hâc conditione, si non deterreret infernus aut id genus alia, quæ malitiam mortalem, quâ hujusmodi consensus coinquinantur, nequaquàm abstergunt.

Non piget hîc in medium adducere, quod alii forsan objectarent: imaginationes, oblectationes, corporis affectiones,

&

& jam descriptæ commotiones à peccati labe sine voluntatis consensu immunes sunt. Ut hoc verum est, ita & illud, quòd sufficiat interpretativus; quem abesse nemo dixerit, dum causa motuum &c. ponitur, & talis quidem, quam ob istos effectus omissam oportuerat; imò incredibile est, quòd hîc non adsit frequentissimè expressus in illa consensus; etenim si illa nequaquàm ipsis placerent, non est prorsùs, quod hanc cum altero sexu conversationem adeò jucundam & gratam ipsis redderet. His omnibus adde, quòd & ea trutinanda sint, quorum non sibi dumtaxàt, verùm & alteri sexui authores sunt, cui forsan plus dispendii, quàm sibi inferunt. Ex his conjice cætera libidinis irritamenta, quæ indivulsè secum trahunt quibusdam locis Conventus (quos *Assemblées* vocant) quis sensus hîc non pascitur libidine? Tot sanè sunt hîc fenestræ, quot sensus, quibus intret peccatum in illos præsertim, in quibus omnia fermè ad peccatum composita videntur.

DUBIUM I.

Quid agendum Confeßario cum Pœnitente, qui solet versari in occasione descripta?

NOn est hujus argumenti agere de obligatione Confessarii, quia suspecta illi est Pœnitentis conversio; istud enim ad ea spectat, quæ primo Tractatu de consuetudinariis dicta sunt: hîc considerandâ solùm obligatio Confessarii ob periculum futuri. Satis superque è dictis patescit, quòd hujusmodi Pœnitentes absolutum debeant propositum habere dimittendi istas occasiones (has intelligo quas notavimus Quæst. 7. superiori.) "Persistere in assidua collocutione, „aspectu, quotidiano congressu, & „similibus turpium amorum irritamen„tis"; nec tamen id satìs, at præterea signis sufficientibus, quòd hujusmodi propositum habeant, Confessario innotescat, necesse est.

Quid verò tum facto opùs, quando istud antè spoponderunt, sed promisso non stantes, occasionibus iterum sese ingesserunt? " absolutionem differat, respon-

„ respondet S. Carolus, usque eò, dum „emendationis argumenta quædam videbit": argumenta cogites, quæ anteactis non obstantibus illam emendationem Confessario satìs persuasam faciant.

DUBIUM. II.

Quid de iis censendum, qui Dominicis & Festis diebus cum personis alterius sexûs popinas frequentare solent, quas post largiores potationes domum reducunt, quod fit in quibusdam Belgii locis, atque imprimis ruri?

NEmo dubitarit, quin ea, quæ dicuntur Quæstione septima consequi conversationem de qua illìc, ex hâc quoque nata sint pullulare. Sed multò maximè expendenda in his quoque peculiaris inclinatio, & ad libidinem audacia ab intemperantiæ excessu, atque imprimis inter homines, qui viliori sunt indole, & eruditione minori. Consectaneum igitur, quòd ea, quæ dubio præeunte dicta fuerunt, ab his quoque sint antè postulanda quàm absolutione donentur. Non parùm etiam his opportunum fuerit

ſatisfactionis loco injungere, ut ſtato tempore Eccleſiam obeant, Catechiſmis interſint, aliaque pietatis exercitia præſtent, & illis potiſſimùm horis, quibus ad popinas ibatur.

DUBIUM III.

Quid cenſendum de juvene, qui connubii incundi causâ quamdam filiam viſere ſolet; item quid de filia, quæ eo animo viſitationem admittit?

Juſtus hic finis præſtare poſſet, ut talis quorumdam converſatio caſtitatis terminos non tranſiliret, modò contingeret, quantum fini huic neceſſaria eſt. At quàm multis animus eſt ad Matrimonium libidinoſus? Quare etiam atque etiam timendum, ne hi quoque, quamquàm Matrimonium cogitent, non caſtè ſatis hujuſmodi viſitationibus interſint. Quodque his amplius eſt, qui Matrimonium eô, quô inſtitutum eſt, fine meditantur, ſæpè ſæpiùs ex hac converſatione, niſi vigilantia non mediocri, & pietate avertant, magnum in diſcrimen veniunt.

Nihil

Nihil adeò in uſum illorum fuerit, quàm hæc, quæ ſubjiciam, illis ſuadere: Principio animum advertant, quod aliter nemo poſſit eſſe continens, niſi Deus dederit, atque adeò pro continentiæ dono Deus adeundus ſit, & indefeſsè rogandus: Deindè ut viſitationes, quoad fieri poteſt, breves ſint & raræ: Prætereà ut viſitationes illæ inſtituantur coram Parentibus filiæ potiùs & palam, quàm in ſolitudine aut in tenebris, quod ſingularis periculi cauſa eſt iis, qui caſtitatis pericula honeſto colloquii genere avertere non ſatis nôrunt: Quartò ſuis utrimque Parentibus mox ſignificent animum ſuum, optentque per illos, quoad fieri poteſt, res iſta potiùs agatur. Poſt hæc ut eá, quâ fas eſt, indagine in hoc collocatâ, connubium quàm citiſſimè maturent. Et denique altè pectori inſculpant, quod nulla Matrimonii intentio, ne ipſa quidem ſponſalia quaſcumque tum facti tum verbi impudicitias, aut libidinoſæ voluntatis motiones inter futuros conjuges excuſare valeant.

Dici vix poteſt, quantum, ſi hæc in actum deducerentur, boni manaret Con-

jugibus, quantum inde consequerentur liberi quantum familia, quantum denique eô pactô accederet Reipublicæ ornamentum & decus, cum è Matrimoniali cæteros status originem ducere, necesse sit. Neque hoc in postremis habendum, quòd Matrimonii Sacramentum cum obice susceptum, nunquàm forsàn, ne obice quidem sublato, posteà reviviscat.

OBJECTIONES

Contra Doctrinam hactenus traditam.

TRactatu superiori in medium adductæ sunt nonnullæ Objectiones contra eam potissimum doctrinam, quæ de consuetudinariis tradebatur; supersunt modò aliæ quædam, quibus non tam ista doctrina speciatìm impugnatur, quàm generatim dimissio Pœnitentium sine absolutione.

OBJECTIO II.

Dimiſſo ſine abſolutione Pœnitente revelatur Confeſsio, ſi dimiſſus non auſit communicare?

DEmentiæ loco habendum, quòd Confeſſarius debeat officio deeſſe, ne ex abſolutione negata conſequatur, quòd Pœnitens non auſit communicare, undè oboriatur forſan ulterior ſuſpicio; quòd Confeſſarii judicio abſolutione indignus fuerit. Quis enim non videat, pertinaciſſimum quemque (ſi idcircò impertienda abſolutio indignis) & obfirmatum in homicidio, adulteriis, furtis & quod eſt his majus, ipſum quoque pertinaciam ultrò fatentem abſolvendum eſſe, ſi ille formidet ſacra ſe Synaxi reficere negatâ abſolutione, & Communionis intermiſſio ſuſpicionem indiſpoſitionis ingerat aliis? Quô ſanè ſi quid abſurdius dici non poteſt, clarum evadit, quòd Confeſſarius pro munere ſuo peccata eorum, qui abſolutione indigni ſunt, retinere debeat, hoc eſt, ſive illorum infamia inde ſecutura ſit modô jam

jam dictô ſin minus, debeat illos non abſolvere; hoc enim infamandi genus non Confeſſario, ſed Pœnitenti adſcriptum oportet.

poſſet quidem illa ab abſolutione repulſio forsàn tegi & celari, tam publicè quàm privatim ſuadendo, ut ne optimi quidem ipſo Confeſſionis die continuò communicent, at ſubindè pro eâ, quam Sacramentum poſtulat, reverentiâ Communionem, quò ſe meliùs interim præparent, nonnihil differant; quod ſi obtinetur, ceſſat dicta ſuſpicio.

Solutionis quoque loco ad Objectionem reſponſum fuiſſet non malè, quod Cathechiſmus Romanus dum de ſatisfactione agens Pœnitentiæ publicæ meminit: "quod etiam in occultis crimini-„bus, quæ graviora eſſent, interdum fieri ſolitum erat". Quod moris fuiſſe quandoque inſinuat, publicam Pœnitentiam pro occultis criminibus, quæ graviora erant, præcipere.

Huc quoque advocari poterant, quæ habet ſupplementum D. Thomæ q. 28. art. 1. ad 2. "Dicendum, inquit, quòd „pœnitentia ſolemnis, quantum ad in-„junctionem non exit forum occultum; quia

Tam magna erat olim fideliũ humilitas, ut ad Christi exẽplũ volebant eorũ plures publicã agere pœnitentiam a S. Canonibus pro gravibus

„quia ſicut occultè quis confitetur, ita „occultè ei pœnitentia injungitur; ſed „executio, ait, exit forum occultum, & hoc non eſt inconveniens." Verùm quia procul dubio nonnulli huic tam Catechiſmi, quàm ſupplementi doctrinæ ſeſe oppoſituri forent, hiſce teſtimoniis urgendis ſuperſedeo, in ea nimirum re (intelligo doctrinam in titulo propoſitam) quæ apud omnes prorsùs Theologos haberi debet certiſſima.

OBJECTIO II.

Confeſſario poſt abſolutionem datam cum Pœnitente de peccatis, quæ ipſe confeſſus eſt, agere non licet, contrarium tamen ſæpè hîc ſupponitur, dum nimirùm in Confeſſione ſequenti ponitur licere de peccatis ante-actæ Confeſsionis verba facere.

CErtiſſimum eſt, hoc licere in frequenti Confeſſione ad pœnitentis utilitatem: quod majori non eget probatione, dum omnes vel tenuiter quoque hujus rei periti id habent tamquam certiſſimum: idem clarè innuit doctrina illorum, qui ſuadent aut ſemper aut plerumque eodem utendum Confeſſario, eò

= peccatis taxatim licet ea nimi-
numquam patrassent, sicque
mali cum bonis miscebantur
sine famæ lesione

nimirùm consiliô, ut nôrit Pœnitentem pro notitia è Confessionibus ante-actis comparata, in sequentibus dirigere: mirum proindè, quî ista dubitationis nebula cuipiam oboriri queat, nisi in luce meridiana cæcutiat.

OBJECTIO III.

Contrà Hypothesin quartam potissimùm.

Pœnitens pendente dubio de dispositione habet jus ad absolutionem.

NUllâ premente justâ necessitate nihilô plus jùris habet dubiè dispositus Pœnitens, ùt absolvatur, quàm Catechumenus, ùt citra necessitatem baptizetur liquore, de quo ambigitur, an sit aqua: nihilô plus, inquam, habet quàm æger, ut Medicus sibi præscribat quoddam medicamen, quod etsi possit quodam eventu prodesse, natum tamen est valdè multos in circumstantiis similibus interimere, exclusô interim aliô medendi modô, qui absque comparatio-

ne ſecurior eſt: eundem in modum igitur nullum ſibi jus vindicare poteſt Pœnitens, ut à Confeſſario citra juſtam neceſſitatem abſolutionem ferat, quando de illius diſpoſitione juſta dubitandi ratio relinquitur.

Quid huc faciat poſtrema ſimilitudo, ex eo quem ſubnectimus, diſcurſu facilè apparuerit: ponamus centum eſſe, de quorum diſpoſitione æquale eſt utrimque dubium; ſi omnes abſolvis, quinquaginta ſine fructu abſolvuntur (ita enim fieri natum eſt) ſicut autem ille agendi modus hîc numerum eorum dimidium dumtaxat coram Deo abſolvit; ita & pronum eſt fieri è quocumque dato numero. Iterum iterumque conſideret ergo quiſquis eſt, quam multi ex iis, æquâ nimirum lance dubiis, perituri ſint: ex adverſo autem, quàm multis benè cedet, ſi juſtam citra neceſſitatem nullus eorum à quocumque Confeſſario abſolvatur, niſi converſio ejus Confeſſario ſat probata fuerit.

Quis modò non inferat mecum, nihil adversùs hanc doctrinam valere illud, quod à tribunali externo huc rapiunt: in dubio favendum eſt reo: haud inficior ſic

ſic in iſto agendum foro, ac præſertim, ubi agitur de ſupplicio graviori; judex quippe duo inter mala tum collocatur, hinc punire innocentem; illinc impunitum dimittere nocentem; quandoquidem verò uno omnium ore & animi ſenſu hoc illô minùs ſit, hoc quoque præ illo, pendente dubio æqualis periculi, electum oportuit.

Hæc ipſa ratio quæ adſtringit quempiam duo inter mala fluctantem, quod illorum minùs eſt, eligere, ac proindè favere reo, ipſiſſima cogit, ut ſtante dubio differat abſolutionem Confeſſarius; etenim magìs favere Pœnitenti non potuerit quàm differendo: velut enim in caſu poſito Medicus præſcribens medicamen ſecurum, miſſo periculoſo, quamvis ab ægro hoc expeteretur, ei non adverſatur, ſed valetudini ejus conſulit; planè in hunc modum cenſendum eſt de confeſſario ad Pœnitentem comparato, cujus diſpoſitio æque ipſi dubia, & inſuper ſicut adeſt juſta dubitandi ratio ita ut ſupponitur, abeſt neceſſitas impendendi abſolutionem.

OBJE-

OBJECTIO IV.

Iudex in foro externo debet secundùm allegata & probata judicare, ergò Confeßarius debet pœnitentem absolvere, dum ipse dicit se esse dispositum.

HIc Objectionis scopus est, ut ostendatur Confessarii munus esse, Pœnitenti absolutionem impendere, quandò se ritè dispositum dicit; quòd Pœnitens, utì seipsum accusat, ita & sua in causa testimonium dicat; nec obstat, quòd Confessarius norit Pœnitentem esse imparatum, scientia quippè illa, inquiunt, habenda est tamquàm privata, quâ in ferenda sententia uti interdicitur. Huc summa objectionis redit; Sed facilis responsio:

Nolim ego hîc asseverare, quòd externo in foro liceat judici sententiam dicere secundùm allegata (ut jurisperiti loquuntur) & probata, quàmvis foret contra propriam scientiam; sed ut hoc daretur, quisquamnè Theologorum dicere ausit, quòd Confessarius licitè Pœnitentem absolvat, quem prorsùs certò

 novit

novit non esse dispositum? esto, ipse dispositum se dicat? Nemo sanè, quia necessum proinde foret dicere, Confessarium cogi, ut absolvat scelestissimum & pertinacissimum peccatorem, quoties illi lubebit, & quamvis sciat Confessarius eum mentiri veram dispositionem.

Notetur igitur, quòd forum externum ab interno discrepat: in foro externo conditæ sunt & præscriptæ Judici leges à superiore, è quibus se dirigat Judex, nulla verò lex Confessario lata ut absolvat Pœnitentem eô solùm nomine, quòd se dispositum dicat; quid? Si foret hujusmodi lex, prorsus iniqua esset judicanda, quia Pœnitentem, qui hoc in tribunali reus est, potiùs Judicem statueret, & præterea adstringeret Confessarium, ut plus sexcenties absolveret, quos certò nosset absolutione indignos.

Huic accedit, quòd Confessarius in foro interno non tantùm Judicis partes agit; verùm Medici quoque & Magistri seu Patris spiritualis, & Sacramentorum Christi dispensatoris vices gerit. Si Medicus, pro munere suo obligatur

ægrum ſpiritualiter curare, & meliori quidem, quo poteſt modo: ſi Magiſter; ipſius eſt diſcipulum ſuum ſine conniventia pernicioſos errores dedocere: ſi Pater; illius partes ſunt, filium ſpiritualem patris adinſtar monere, ne ſalutis æternæ negotium tractet imprudenter. Si diſpenſator Chriſti; ſatagat eâ, quâ oportet, ſollicitudine, ne irreverenter ejus Sacramentum adminiſtretur. Vel cæco igitur appareat à veritate & foro interno alienum eſſe, quòd Confeſſarius ad amuſſim imitari debeat Judicem fori externi.

Aſt in forum externum ab objectione abducti moremur illic parumper, & expendamus; qui negotia ibidem gerantur: finge reum illic conſiſtere de contumeliâ cuipiam illatâ, vel damno triginta quadragintave florenorum convictum: quis, amabo, Judex reum hôc ſolùm nomine, quod parti injuriam ſe reſarſiſſe dicat, abſoluturus eſt? Quis, inquam, Judicum eâdem, quâ res illa ad ſuum tribunal defertur horâ, id facturus? Quis denique Judex, non obſtante præſumptione maximè ſolida, quod non reſarſerit, aut manente ſal-

tem justô hujus dubiô, adeò sui oblitus id faciet? Clamitet reus, obganniat, expostulet, vociferetur opùs esse festinato, & nolle se dilationem accipere hisce Iudicem mentis compotem nequaquàm movebit: sic agitur in tribunali externo; sic agitur, ubi dica scribitur, non de offensa Dei, sed hominis; sic agitur non pro æternitatis, sed aliquòt nummorum dispendio; & pro tantillo quale ac quantum præmitti solet examen!

Hisce tamen ita se habentibus quidam, mirum! Pœnitentem, reum, & læsæ quidem Majestatis Divinæ, neque unico, at pluribus facinoribus, obstinata consuetudine multiplicatis, à Confessario absolvi volunt eâdem horulâ aut dimidia, qua de ipsius negotio agi cœpit, illius, inquam, qui suâ ipsius Confessione reus est; hunc, quis credat, absolvi volunt idcircò, quia in suam gratiam verbulo significat obligationi resipiscendi se fecisse satìs; quantumvis perstet præsumptio in oppositum, aut non levis dubitatio, quòd minimè sit conversus: hunc in modum agi volunt in negotio scilicet, à quo tota pendet æternitas.

Hæc

Hæc eò à nobis dicta non sunt, ut Confessarium adigamus ad tricas & procrastinationes fori externi, verùm ut nulli non sit conspicuum, quàm importunè praxis fori hujus opponatur doctrinæ hactenùs traditæ.

OBJECTIO V.

Si non liceat extra necessitatem absolvere Pœnitentem, de cujus dispositione dubitatur numquàm licebit eum absolvere, quia semper manebit tale dubium; cum dispositio sit in animo Pœnitentis.

SI dixerit quis, dispositionem illam, veramque animi conversionem latitare intra ipsum Pœnitentem, atque ita non posse à quoquam sàt certò sciri; siquidem nemo novit, quod intùs latet in animo alterius præter illum, qui solus renes scrutatur & corda: suffragabor facilè hinc confici, quòd adipisci nequeamus certitudinem omnimodam; immò nec eam, quam physicam vocant, cujusmodi parari potest ex. g. de materiâ Baptismi, Eucharistiæ, aut aliâ sensibili: ast quàm optimè cum eo compo-

nitur certitudo moralis, qualem citra dubium postulabit Rex de fidelitate Gubernatoris priùs, quàm illum admovebit moderationi arcis vel civitatis, à qua regni pendet salus; siquidem cupiet esse moraliter certus, quòd illi non sit animus, regnum prodendi, præsertim si nîl aliud urgeat, neque premat necessitas illum præ ceteris ad id muneris evehendi, quamquam igitur ille ipsius animus seu voluntas intùs lateat, certitudo equidem haberi moralis potest; etenim sicut interna animi alterius dispositio alteri certò cognita secundùm se esse nequit; ita signa externa patere possunt & percipi, quæ eam dispositionem morali testentur certitudine.

Verba igitur ipsius Pœnitentis, inquies, dispositionem testantia semper sufficient. Negatur illatio; quandò enim propria agitur causa, non semper fit satìs, dum aliquis in illa fidelitatem suam verbis testatam relinquit. Notum hoc reddunt quinque familiaria exempla quæ Tratat. 1. qu. 4. sextum faciunt argumentum. Aliquid itaque amplius quàm verba postulatur in causa propria: quod im-

imprimis dicendum in argumento, ubi verba ſæpè fallunt: deinde plura adhuc exigimus, dum perſonæ ſtatus majorem præcautionem requirit, & tertiò maximá adnitendum ſolicitudine, dum his omnibus accedit, quòd perſona, de cujus fidelitate agitur, ob ante-acta ſingularitèr inconſtantiæ, & infidelitatis ſuſpecta eſt.

Nullo negotio hæc tria probaverimus: primum quidem, magnam pecuniæ ſummam, præſertìm ſi non ſit numerata, nemo citra neceſſitatem concredet peregrino cuipiam & ignoto, etſi nihil illius ſe furari velle iſte aſſeveret. Alterum non minùs clarum: ſummam dictam minùs committet perſonæ peregrinæ & ignotæ, ſi illam pecuniâ egere novit: tertium denique ſic monſtratur: quàm maximè quis alienus erit, ut homini peregrino, ignoto & indigo pecuniæ cuſtodiam demandet, ſi præter hæc omnia noverit quoque frequentia ejus furta. E quibus non ſolùm elucet, quòd ad certitudinem moralem de alterius diſpoſitione non ſemper verba ipſius ſufficiant; verùm, quòd pro ratione Argumenti, de quo agitur pro ratione ſta-

 tûs

tûs personæ, & pro exigentiâ præcipuè actuum contrariorum, qui præmissi sunt, plures majoresque exigantur probationes.

Quod igitur propria in causa deceptionis periculum facilè apprehendit Confessarius, hoc & in Dei & salutis proximi negotio eâ quâ oportet, proportione servatâ, non minùs percipiat, quemque se præstat in caducis, eum se exhibere debet in æternis; quare eam ut minimùm, quam in propria causa expeteret certitudinem, hic quoque comparare satagat.

OBJECTIO VI.

Consectaneum hinc videtur, quòd ille, qui vel semel peccavit mortaliter, peccato saltem externo & graviori non poterit absolvi primâ vice, quâ Confessarium absolvendus accedit.

HAnc objectionem roborabit Hypothesis quarta, juxta quam non licet administrare Sacramentum cum materia verè dubia, etsi alia haberi nequeat, nisi justa necessitas tam irreverentiæ

rentiæ periculum, quàm alia ex ea administratione secutura incommoda excusare valeat. Atque necessitas hîc quidem, ut ponitur, abest; deinde conversio prima vice dubia saltem futura videtur, sed hoc

Exemplo dilucidabitur: fingamus aliquem lapsum fuisse in crimen fornicationis aut adulterii, cujus notabilem displicentiam intereà temporis non habuerit, donec se ad confessionem paraturus horâ vel dimidiâ conscientiam examinet antè & discutiat, coneturque peccatum suum detestari: quia tam est facilis fidei, ut moraliter certum habeat, quòd ille tempore tam exiguo magnum illud & indebitum veræ & intimæ ad Deum conversionis donum à Deo impetrarit? Ac proindè tantum ac talem ab ipso consecutus sit de peccato dolorem ut vera à tali facinore ad Deum conversio postulat.

Quô tamen magis premat objectio, cogitemus loca S. Scripturæ, quibus Tract. 1. docemur conversionem tantâ non acquiri celeritate & facilitate, prout vulgo creditur; hæc sanè, si rectè calculum ponimus, non solùm agunt de

confuetudinariorum converfione, neque teftimonia fub titulo primi Argumenti contra fubitaneam confuetudinariorum converfionem allegata id folùm innuunt.

His accedit, quòd nullus Superior, fi enormiter à fuo fubdito offenfus fuit, adduci poterit, qui credat, illum jam fincerè deteftari flagitium patratum, fi noverit illum commiffi criminis difplicentiam non concepiffe, nifi dum incepit offenfam expendere eâ ipsâ horâ, quâ novum beneficium unâ cum reconciliatione petiturus erat. Hæc omnia videntur conficere, quod peccator, qui peccato mortali externo faltem & graviori Deum vel femel offendit, primâ vice quâ Confeffarium abfolvendus accedit, nequeat abfolvi.

Refponfi loco fit, quod Pœnitens priufquàm Confeffarium petiturus abfolutionem primùm accedat, poteft fuâ fponte egiffe ea omnia, quæ Confeffarius abfolutionem dilaturus præmittenda abfolutioni judicaret; ac proinde eo eventu abfolutio huic Pœnitenti ne primâ quidem vice differenda fuerit. Quapropter in Concionibus & Catechifmis

ſæpè numero commonendus eſt populus, ut priuſquam confeſſione peccatum mortiferum præſertim enorme expiare voluerit, per precationes, jejunia, aliaque pœnitentiæ opera ſeſe eô, quô par eſt, tempore præparet, atque eo pacto per pœnitentiæ gradus ad veram tandem converſionem enitatur. Optandum tamen magis & non abs re foret, ut hæc ipſa pœnitentiæ opera, quæ ſcilicet, quanta, quamdiu &c. à Confeſſario peterentur; certum enim eſt, illa non uno nomine multô amplius valere, quatenus à Chriſti Vicario impoſita peraguntur.

Promptiores ad hæc omnia illos videre erit, ſi præmoneantur ea, quæ modo ab ipſis exiguntur, plurimùm deficere & eſſe infra rigorem (etſi non videantur carere moleſtia) quem Canones Pœnitentiales olim exegerunt.

OBJECTIO VII.

Non potest assignari Regula generalis pro acquirenda tali certitudine : ergò malè talis certitudo requiritur.

PErsæpè in humanis assignari nequit Regula generalis, quæ definiat in omnibus circumstantiis certitudinem moralem, quâ certum sit huic aut isti obligationi satisfactum esse. Exempli gratia obligamur ad contritionem de peccatis mortalibus, verùm quis tantus, qui Regulam generalem queat præscribere, quâ statuatur in omnibus circumstantiis, quandò certò sit factum satis illi obligationi quoad intensionem, quoad apprecationem, quoad tempus, quoad durationem, quoad proportionem cum ipsis peccatis &c.

Ut non contrahamus culpam oportet nos, dum quid agimus, moralem quamdam habere certitudinem, quòd non impingamus in legem æternam, at hucusque nequaquàm inventa est Regula generalis, quæ in omni eventu certò monstret, quæ requirantur, & ad amussim

sim sufficiant ad eam certitudinem. Quæ in duobus exemplis, hæc in sexcentis aliis locum habent. Quis igitur miretur, in eâ quoque, quam tractamus, materiâ non posse delineari methodum generalem, quæ omni quoquo eventu indicet, quando eam, quæ hic exigitur, certitudinem moralem attigerimus.

Neque est, quòd à Theologo hujusmodi regulæ tam generales in similibus extorqueantur, cum Theologi munus sit potius alios docere, quod in hujusmodi frequentissimè orato opus sit, Deusque cum Psalmista deprecandus: ut *misereatur nostri & benedicat nobis: Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri: ut cognoscamus in terra viam* ejus, *in omnibus gentibus salutare* ejus. Numquàm verò magìs Psaltes Regius hanc illuminationem directionemque efflagitavit, quam Psalmo 118. quem sanè non absque singulari Divinæ Providentiæ directione in quatuor horas diurnas partita fuit Ecclesia ut clerus die toto illuminationem à Deo petat & directionem. Psal. 66.

Huic fini præscribunt quoque Ritualia quasdam precationes priùs recitandas,

das, quàm Sacramenta administrentur. Hæc ſanè cuique concludendum ſuadent, Confeſſariis in munere tam arduo, nihil potius, nihilque magis neceſſarium eſſe; quàm ut pſallant indeſinenter cum Davide: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: oculi mei ſemper ad Dominum &c.*

Nullane ergò ſunt, quæ huic certitudini comparandæ conducant? Sunt indubiè; quibus ea quoque accenſeas, quæ in reſponſione ad poſtremam Objectionem: adjiciam & hoc, expendantur ſigna pœnitentiæ conſiderenturque, num talia ſint, quæ ſufficientia duceres in tua ipſius cauſa, ſi ea foret non vulgaris momenti: circumſpiciatur præterea, num poſitiva quædam comperias, quæ converſionem his veſtitam circumſtantiis tibi ſuſpectam reddant: & quidem, ſi pernoſcis Pœnitentem, noſces item non difficulter converſionis argumenta; ſin minùs, debebit examen inſtitui, ut ſignificatur Dub. 2. qu.1. Tract. 1.

OB-

OBJECTIO VIII.

Abſolutio tum ſaltem differri non poterit; quando Pœnitens aliàs intra tempus ab Eccleſiâ præſcriptum Communionem Paſchalem ſumere nequibit.

NOn parum adversùs hoc incommodum poteſt vigilantia Paſtorum & Concionantium ſollicitudo, iterum iterumque dicendo è ſuggeſtu, & docendo ſæpè in Catechiſmis, quas ob cauſas differenda ſit abſolutio, atque unà monendo, ut qui ſciunt dubitantve, num ejuſmodi impedimentis ſint irretiti, tempus Paſchæ præveniant, & ſi opus erit, tempore notabili. Monendi item ſunt, totum Quadrageſimale jejunium huic ſingulariter opportunum eſſe, & à conſuetudine non minùs laudabili, quàm vetuſtâ quaſi huic rei conſecratum.

Si tamen eveniat, ut Pœnitentes condignè priùs quàm Feſta Paſchæ elabantur, diſponi nequiverint, nequaquam poteſt Confeſſarius ea, quæ muneris ipſius ſunt intermittere. Huc etiam facit;

cit, quod cap. *Omnis utriusque sexûs* de Communione Paschali agens studiô adjectam habeat limitationem : "Nisi fortè „de consilio proprii Sacerdotis ob ali„quam rationabilem causam ad tempus „ab ejus (scilicet Eucharistiæ) perceptione duxerit abstinendum". Omninò igitur illicitum est , ob communionis Paschalis obligationem beneficium absolutionis impendere Pœnitenti, de cujus indigna dispositione certitudo est , vel justa dubitandi ratio : multoque minùs id licebit ob peculiarem erga aliquem Sanctum venerationem.

OBJECTIO IX.

Transeuntibus & peregrinantibus ad loca pia absolutio differri nequit , quia ad eundem Confeßarium redire non poterunt.

CONfessarius pro munere suo tum quoque judicem æquum agere debet , ac proindè absolutionis beneficium negare , nisi Deo , quod ad obligationem veræ & intimæ conversionis attinet , satisfecisse comprobeur : neque quod in corporis ægritudine præstat illius Medi-

Medicus, in animæ leprâ omittere debet Confessarius: ille ægros & afflictos secum ob impedimenta non moraturos, periculo valetudinis deperdendæ ob ea non exponet, nec se ipsum erroris periculo injiciet: sed operam dabit, ut ea suggerat & præscribat medicamina, quæ ægris quàm plurimùm profutura arbitratur, atque unâ suadebit, ut medicorum alteri; quocum diutiùs morari licebit, medicamen præscriptum simul & illius eventum, morbique statum significent.

Illum imitetur Confessarius, & si justo movetur dubio, num peregrinus aut viator sit dispositus, ut ei absolutio impendatur, caveat vulnera animæ absolutione velut crustâ obducere, suppurante intùs peccati ulcere; etenim eo ipso non immeritò dubitat, an absolutio & Communio secuturæ non sint futuræ Pœnitenti novo & gravi nocumento.

Assimilabitur igitur Medico corporali; & tali Pœnitenti suggeret opportuna adversùs illius ægritudines medicamina; suadeat quoque ut, ubi moraturus est, Confessarium deligat, quàm potest, prudentissimum, quem nihil ægritudi-

num suarum celet, & remedia sibi suggesta illi enarret; atque hæc maximè, ut universa candidè exprimat, plura ab ipso exspectaturus, quoad valetudini fuerit restitutus.

OBJECTIO X.

Cuiq; , aiunt, in sua arte credendum, sed doctrina hæc confessariis longâ horum experientiâ & usu edoctis plus cæteris displicet, suspecta igitur est hæc doctrina.

VTinam meus me fallat animus, qui mihi præsagit, doctrinæ huic à quibusdam reclamatum iri: ast æquiori me ferre hoc animo jubet, quòd sicut hæc quibusdam Confessariis forsan displicitura est; ita jam nunc certum mihi, quòd valdè multis hæc praxis admodum placitura erit. Equidem dicam, quod res est, si quid huic doctrinæ opponetur, id potissimum fore expecto ab iis, quibus jam pridem in consuetudinem abiit, quoscumque fermè absolutionis beneficio indiscriminatim donare, modò placeat vel semel proloqui: *Doleo de peccatis meis*, vel ad interrogationem: *Dolesne*

de

de peccatis, proferre iſtam voculam: *doleo*. Quô factum eſt, ut inter illos (blandos dicam, an potiùs immites Confeſſarios?) nonnullos comperias, qui cum plus triginta annos à confeſſionibus fuerint, numquam ne ſcelcſtiſſimo quidem, mirum! abſolutionem diſtulerunt, nedum negarunt.

Hos omni, quô poſſum, affectu rogo, in animum redigant, ſibi non ad remittendum dumtaxat peccata, ſed ad retinendum quoque datam cœlitûs facultatem. Facilè mecum, non dubito, videbunt, ubi omnibus dictum: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, mutilam hanc facultatem, & priorem ejus partem ſibi tantummodo donatam non eſſe. Joan. 20.

Si quorumdam animum hæc opinatio forſan occupaſſet, dictâ Chriſti ſententiâ plus ſatìs docentur, ſe non integros rerum æſtimatores fuiſſe, & tam Divino honori, quàm proximorum ſaluti minus æquam tuliſſe ſententiam. Atque id cauſæ eſt, quòd non percellet me, ſi apud eos cauſam non obtinuero; eſt quippè, quòd maximopore timeatur, ne

ne præjudiciis aut consuetudine anniosâ præpediti ex æquo & bono non judicent: nolim igitur istorum sectari forum, aut eorum arbitrio hanc doctrinam committere; imò jam nunc ab illis velut suspectis appello, & ad aliud tribunal provoco, huic enim doctrinæ calculum illi vix adjicient: quis enim speret fore, ut suam ipsorum doctrinam proscribant, hoc est, huic nostræ doctrinæ nequaquàm suffragabuntur, nisi suam damnent praxim, tanquàm sibi & tot Pœnitentibus noxiam.

Rursùm pro ea, quâ invicem diligimus, charitate obsecro & obtestor, ut recta secum reputent, an sua suorumve praxis umquam effectum dare potuerit, ut ii Pœnitentes, qui reipsâ & coram Deo conversi non erant, idcircò fuerint conversi, quia Confessarii blandiores eô locô illos habuerunt, ac si conversi fuissent; si hoc dicere nec possint, nec ausint, quantum animarum dispendium! quot sacrilegia! quot homines fucatâ hac absolutione contenti & decepti in æternam eunt perditionem! movebit illos, spero, debitus Deo honos & proximi salus, ut suam suorumque

praxim

praxim non tueantur contra veritatem; movebuntur suâ ipsorum salute, ut ab omni præjudicio immunes, neque huc neque illuc affectu obliquo propendentes æquis oculis intueantur, quantum hæc doctrina veritati consentanea, quantoque Confessarios perinde atque Pœnitentes periculo sit exemptura.

Movebit excellens legatio, quâ pro Christo funguntur, & incomparabilis Sacramentorum dignitas, ut non magis pro praxi sua defensanda, quàm pro debito Confessarii munere; non magis pro incommodo aliquo evadendo, aut, quod absit, humano quopiam intuitu, quàm pro commodo tot animarum hanc doctrinam impetere studeant; sed memores erunt (quod fore confido) sui jam muneris esse tantô fortiùs stare pro veritate agnita, quantò longiùs ab ea antè deflexerunt. Nec enim video, quòd opportunior supersit errores antè commissos resarciendi methodus. Hæc liberius à me dicta putarem, nisi ad eos mihi sermo foret, apud quos Christiana veritas & libertas in magno sunt pretio.

DUBIUM IV.

An Confeſſarius audiens peccata, quorum poteſt ſupereſſe aliqua occaſio, debeat Pœnitentem examinare: an ex. gr. perſona quacum peccavit, habitet in iiſdem ædibus, vel alibi ejus rogatu, aut his ſimilia.

QUàm maximè, oportet Confeſſarium in iſta inquirere, nihil enim eſt iſtorum omnium, quin illius cognitio ſit apprimè neceſſaria, ut Confeſſarius fungatur munere ſuo. Neque ab hoc reſponſo me dimovebit, quod fortè reponent alii, futurum ſubindè, ut hac ratione innoteſcat complex: quia debet ipſe ſibi adſcribere, quòd peccato aſſentiens cauſam præbuerit, quód Confeſſario alterius notum fiet quoque crimen ejus, ſine quo plenam, ut ſuppono, confitentis ſui ſtatus notitiam conſequi non poterat. Debet enim Confeſſarius etiam noviſſe illa, quæ pœnitentem rursùs ad peccatum eſſent reductura.

Huc ſpectat quoque, quòd Confeſſarius ponatur eſſe vir eâ, quâ oportet, prudentiâ, & ob id nihil complici obfuturus,

turus, ubi è diverso plurimum Pœnitenti ex ea notitia accessurum est emolumenti, quin & ipsi complici, qui hâc ratione opportunitate peccandi, saltèm cum hac personâ non rarò eximetur.

Ast aliud quandoque evenit: Pœnitens peccata sua confessurus incautè crimen alterius prodit citra necessitatem; ex. g. dicit se per detractionem tale crimen verè commissum propalasse de Joanne; tum ille officii sui monendus est, & quid dictum oporteat, quid tacitum, à Confessario edocendus.

Expedit denique, ut Confessarius quam primùm advertit ex circumstantiis periculum, ne Pœnitens hâc in parte fortè sit exorbitaturus, eum præveniat, priusquam incœperit crimen alterius revelare.

DU-

DUBIUM V.

An illi sine absolutione sint dimittendi, qui vix ulla peccata sponte sua confitentur; sed tamen à Confessario interrogati fatentur multa mortalia?

TAcitus prætereo, quòd illi titulo consuetudinariorum, aut alio ex suprà recensitis possint indigni esse absolutione; & hisce (ut in dubitatione proposita) annumero, quòd & hoc nomine plerumque sint imparati ad absolutionem: prorsùs quippè verosimile sit, quòd Pœnitentes istiusmodi usque ad ingressum in sedem Confessarii, imò ad ipsum fermè momentum, quô interrogantur, vel rudes omninò fuerint, & morum Christianorum imperiti: vel quod nulli ipsis curæ fuerit pœnitere peccati, proponere emendationem, & integritatis confessionis satagere; vel (quod deterius est) voluerint ex composito illa mortalia subticere, si de illis non interrogarentur. Ut ut fuerit, quidlibet horum sat luculento est argumento, quod similis illorum dispositio adducatur

in

in admodùm gravem, si non moraliter certam suspicionem. Ut enim essent verè ad Deum conversi, oporteret, ut Deus brevissimo tempore, & velut momento cepisset simul & perfecisset in ipsis magnum illud veræ, intimæ & supernaturalis conversionis donum, quod nemini debet, sed gratis dat, quibus dat.

Ecquis igitur, & quâ argutandi solertiâ probarit, hanc ab illis peccatis conversionem cælitùs illis immissam? illis, inquam, qui tam procùl indè mox aberant, & quod amplius est, qui istud conversionis donum à Deo non poposcerunt, imo ne cogitarunt quidem?

DUBIUM VI.

Quid de illis censendum, qui usque hoc momentum, quo à confessario instruuntur, ignorarunt voluntates internas aut consensus internos, ex. gr. circa objecta libidinis, vindictæ &c. esse peccata mortalia, atque ita multa hujusmodi commiserunt?

EA, quæ Dubio superiôri dicta sunt, facilè conficiunt, hujusmodi plerum-

tumque ſaltem ſine abſolutione dimittendos eſſe, ob hanc quidem rationem, quia diſpoſitio illorum ut nimiùm eſt ambigua: eadem eſto ſententia de iis, qui mortaliter deliquerunt frequenti pollutione, quòd hactenùs eam peccato ſaltem mortali non annumerârint: multô magìs igitur & iis differenda abſolutio, qui animô obfirmatô peccatum committere, aut in eo, quod nôrunt eſſe peccatum mortale, perſeverare ſtatuebant; ſed tandem monitis Confeſſarii à propoſito ſuo moventur, uſque eo ſaltem, ut dicant ſibi jam animum eſſe illo ſuperſedere.

Hic caſus à nulla materia alienus eſt, dummodo vehemens aliqua ad peccandum impellit paſſio, ita nimirum frequenter evenit in odio & vindicta, & quandoque etiam, ubi infamiæ periculum quoſdam ad abortum allicit & propellit. Operam hîc perditurus eſſem, ſi indignitatem & defectuoſam illorum diſpoſitionem moraliter certam eſſe, aut vehementer ut minùs eſſe ſuſpectam commonſtratum irem; poſſem enim argumento non uno: ſed antè dicta hoc ſat enucleatè docent.

DU-

DUBIUM VII.

Quis modus doctrinam hactenùs traditam feliciter deducendi ad praxim?

VT doctrina hæc labefactatis, ita hominum moribus, feliciter & cum fructu, quem faxit Deus uberrimum, in actum deducatur; magnum operæ pretium fore duxi, aliqua hic subnectere, quæ ad hujus doctrinæ praxim requisita videbantur; quo fiat, ut & Confessarii lubenter, strenuè & indefessè hanc methodum amplectantur, & Pœnitentes utiliter, & ad animæ suæ salutem non inviti observent, aut saltem qui sunt impœnitentes, internoscantur.

REQUISITUM I.

Hujus doctrinæ veritatem dilucidè & in Concionibus & Catechismis propositam atque enucleatam oportet: cui usui servient imprimis argumenta illa, quæ hominibus sunt familiaria & domestica. Sed illa semel dixisse non sufficerit, adeoque iterum iterumque in-

inculcanda sunt. Eum ob finem docendus pariter est populus, quô modô paratus esse debeat, & quam adferre dispositionem, ut absque dilatione beneficium absolutionis consequatur & è diverso quæ dispositio absolutionem differre & perendinare cogat.

REQUISITUM II.

Cum huic praxi præ reliquis adversentur, & potissimùm sese opponant Pœnitentes ii, qui nullam fermè Christianæ vitæ ideam habent, necessarium est illos de hac omni cum solitudine instruere, & in quo vita Christiana posita sit tam in Concionibus, quàm in Catechismis, & in privatis etiam instructionibus identidem docere; ut vel indè discant se creatos ad obsequium, honorem & amorem sui Creatoris; huc tempus labile, huc æternitatem quoque destinari: ad quæ ut se obligatiores nôrint, ob oculos ipsis frequenter ponatur finis, ob quem Christi Salvatoris passio, & mors nobis à Deo impendantur: ille, ille est: *Vt qui*
2. Cor. 5. *vivunt, jam non sibi vivant; sed illi, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit:* hoc ingeminat

minat idem: *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* 1. Cor. 6.

Doceatur populus indefinenter, parùm profore servos Dei compellari, aut Christiani epitheto cohonestari, nisi nomina in rem conferamus, & quod illa sonant, res & opera demonstrent: sæpissimè memoriam innovent solùm non profuturum, sed maximoperè obfuturum, quòd in Baptismo solenniter professi sumus, nos diabolo, pompis omnibus & operibus ejus abrenuntiare, nisi congruam professioni vitam ducamus.

Sicut creationis, item & redemptionis nostræ finis non minùs clarè quàm compendiosè complectitur, quid Christianum facere oporteat; *Deo* nimirum *vivere, non sibi:* sic & præstita in Baptismate Christianismi professio nos edocet ea, quæ omittenda sunt, quæ diabolum scilicet, opera ejus, & pompas concernunt. Verùm ut hæc verbo quadantenùs teneantur, quàm multi tamen in hanc bimembrem Regulam ad peccatum usque mortale impingant, non perindè vulgo notum est.

Sic

Sic quidem primum ejus membrum lædunt ii, in quorum animo principem locum occupat ſolicitudo circa temporalia; hi verò quantùm abſunt ab amore, qui facit hîc civitatem Dei, ſive juſtorum numerum! nam ex S. Augustini ſententia non facit hanc, niſi amor Dei, & amor quidem Dei uſque ad contemptum ſui: alterum verò ejus membrum, hoc eſt, profeſſionem in Baptiſmo peractam lethaliter ſauciant, qui Deum inhonorando, proximum odio perſequendo, ſcandalizando, dolos faciendo, contra fas divexando &c. eam inſtituunt vitam, ut veriùs dixeris illos ſecundùm diabolum & mundi maximas vivere, quàm ſecundùm Deum & Evangelii regulas. Quibus ob pompas & opera diaboli accenſe eos, quorum alii ſuæ ambitioni potiùs & vanitati, quàm Divino cultui & honori; alii ſuis voluptatibus & oblectamentis magis quàm Dei obſequio vivunt.

S. Auguſt. de civ. Dei l. 14. c. 28.

Ut hæc vitæ Chriſtianæ idea ſic perſtricta paucis, ad anguſtias aut obſcuritatem non redigatur, illam explanant potiſſimæ S. Litterarum, & in his Sacroſancti Evangelii Regulæ: ſcopum totius

tius vitæ Christianæ designant bina hæc charitatis præcepta : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua : Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Nosse cupis, quò se extendat amor Dei? Expende sequentia: *Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me*, inquit Christus, *non est me dignus*; & alibi pluribus : *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus* : & paucis complectens omnia : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Matth. 22. Matth. 10. Lucæ 14. Ibidem.

Hæc est Evangelica & Christiana charitas: hæc est, quam denotat cereus seu lampas accensa, quam recens Baptizato porrigit Ecclesia, ut inextincta ad occursum usque Christi Sponsi perduret. Hæc igitur potissima cura sit, huc operam, industriam & cogitationem transferat, ut lampas charitatis indesinenter ardeat, necesse est: huc facit, quod præcipitur. *Quærite primùm Regnum Dei & justitiam ejus*, & jure quidem meritissimo: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 6. Matth. 16.

Ne autem mundi cupiditas charitatem Dei suffocet, quod, heu! nimìs accidit, nos denuò præmonitos vult S. Scriptura: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in*
1. Joan. 2. *mundo sunt:* & rationem subjicit: *Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo:* Commodùm hîc dicetur, quid discrepent, mundum diligere, seu amore ei propter se adhærere, & mundo uti; quoniam res perituras, in quantum nobis serviunt, ut nos iis Deo, assumere non interdicitur; quamquàm ob periculum hîc emergens etiam atque etiam
1. Cor. 7. nos commonet S. Pagina, ut *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi.*

Erunt, qui occinent, mundo egrediendum, si hæc ad omnes perindè Christianos dicuntur; quare ad Religiosos dumtaxàt & Moniales dicta. Dixerunt hoc illi, qui solis Religiosis conscriptum esse Evangelium autumare poterunt: nihil Evangelicæ veritatis studioso certius, nihil evidentius, quàm sicut ab omnibus Christianis exigitur Christi discipulatus, ita omnibus dictum, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: qui ergò tam

ineptè

inepte putarit hoc S. Pauli monitum, *qui habent uxores, tanquam non habentes sint*, nihil ad conjugatos attinere, eádem fronte afferat illud, quod idem tantùm non eodem versu subjicit, *Qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur*, nihil spectare ad eos, qui mundo utuntur.

Pone, hæc omnia naturæ nostræ corruptæ difficilia satis & ardua, & carni adversùs spiritum concupiscenti permolesta, ne dicam exosa; stultum tamen est & grande nefas credere, quòd immobilis, & nunquam mutanda veritas propter obliquatam nostram voluntatem, & naturam recurvam à rectitudine suá, hoc est, à se ipsa umquam deflectat: vocetur & impium, per me licet, quod quidam emollire studentes molestias, quas natura depravata persentiscit, effutire ausi sunt, odiosa (legem Dei puta & jugum ejus suave) sunt restringenda.

Nunquam præterea memoriæ excidat hoc charitatis singulare munimentxm: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te; erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Matt. 5.

Quia verò nihil hominem æquè inclinat, aut pertrahit ad lapſum, atque præſumptio & incauta ſecuritas, non mediocri emolumento erit hominibus hinc ſua pericula, illinc imbecillitatem ſuam, & in malum propenſionem oſtendere: juvat itaque exploratum habere, quô pactô in juſtificatis etiamnum perſeveret ignorantia intellectûs, voluntatis in malum propenſio, & innumeræ prætereà concupiſcentiæ, quibus inceſſanter fermè invitantur ſolicitanturque ad peccatum.

Ad hæc expendant: ſe non interiùs dumtaxat, ſed & exteriùs peti & impugnari; quis enim hoc non experitur à mundi illecebris, à ſodalitiis, & pravis aliorum exemplis, quodque his deterius à fucata & fallente doctrina, quâ dum cœcus cœco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt: eodem ordine habendæ ſunt maximæ quædam mundanæ, quibus error tamquàm lex proponitur. Quid
1. Pet. 5. multis? *Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.*

Et denique, quod primô facilè locô dictum oportuit, numquàm non refri-
2. Cor. 3. canda memoria, *Non quòd ſufficientes ſimus*

imus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed unica spes nostra est, quòd sufficientia nostra sit ex Deo, seu gratiâ illius operante in nobis velle & perficere pro bona Dei voluntate, & quô magis proteratur extollens superbia, timor iterum incessit & solicitudo, quòd Deus gratiam illam gratìs det, quibus dat.

Quàm facilè intellectu erit hisce imbutis principiis, verissimum esse, quod Tractatu primo è Sacris Litteris probatum reliquimus, multis opùs esse ad perseverandum: eâdem quoque facilitate ediscent docente S. Scripturâ veram conversionem non tantâ comparari celeritate & facilitate, quantâ hac hominum ætate acquiri putarit.

Quæ universa, sive ad conversionem requisita expendimus, sive ad perseverandum necessaria inquirimus, si conferantur, altè pectori nostro & clarissimè insculpunt, quanto jure, quantoque nixa fundamento exclamârit veritas: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Lucæ 13. Sed quorsùm, inquies, hîc rursùs eadem illa sacræ Scripturæ loca, plùs satìs jam antè decantata? Cur

præterea ferè ſemper illa ſine interpretatione? Dicam candidè, primum ſervit, ut ſaltem incipiat compenſari neglectus & quaſi contemptus, quem maximæ Evangelicæ patiuntur à quibuſdam infelicium probabilitatum Patronis. Secundum fortè erit occaſio, quòd genuina idea vitæ Chriſtianæ, quam imprimit Evangelium nudum, incipiet apud quoſdam Scripturæ ſacræ non admodùm ſtudioſos internoſci ab illa ſpuria, quam hauſerunt è quibuſdam libris & Authoribus, qui Evangelium non evangelicè interpretantur.

REQUISITUM III.

Tertium ab ipſo dimanat Confeſſario, quem ſingulari curâ oportet ab animo ſuo præter ambitionem & avaritiam, quàm longiſſimè proſcribere propriæ commoditatis ſtudium: qui enim honores ambit, aut opibus inhiat, ſtudet complacere hominibus, paraſitum agit potiùs quàm Judicem, amicitiæ dulcedinem exaſperare formidat, nec libertate utitur tam ſublimi officio dignâ & neceſſariâ; quæ omnia cum felici hujus

praxeos

praxeos exercendæ, & doctrinæ talis in rem conferendæ ſucceſſu haud componuntur; nec enim poſſunt, quia hæc doctrina (ſæculô noſtrô ita in deterius abeunte) conciliabit frequens obloquium & cavillum adversùs aſſeclas ſuos & illorum inſtituti alumnos, neque hæc ſolum expectanda ab impœnitentibus quibuſdam pœnitentibus, verùm & ab aliis quandoque Confeſſariis, eorumque fautoribus, qui moleſtè ferent, vel ſuàm vel ſuorum praxin hoc facto non haberi ratam.

Si Confeſſarius alienô quidem ſit ab ambitione & avaritia animô, ſed commoditatis ſuæ ſectator, neque illi hujùs doctrinæ praxis allubeſcet, utpote quæ paululò plus laboris & operæ, quàm illi libebit proximorum ſaluti tranſcribere, à Confeſſario deſiderabit: pronum igitur erit, ut hujuſmodi Confeſſarius ad alios deflectat, qui ſibi ipſis fucum facere ſtudent, & dolo dolum addentes ſupponunt ſe ſupponere, quòd quicumque propemodum Pœnitentes congruô modô & ritè inſtructi ſint, cætera benè diſpoſiti, & abſolutione non indigni. Hæc

 qui-

quidem ita se habere ponunt obstrepente propriâ ipsorum conscientiâ; at nequicquam oblatrat illa, supponunt equidem, potiùs dicam, fingunt se supponere, quòd Pœnitentibus cujuscunque farinæ nihil desit, quô minùs hujus Sacramenti effectûs compotes fiant.

Sicut hæc doctrina, ut in actum deducatur, requirit, ut à Confessarii animo absint illæ affectiones obliquæ, ita harum loco exigit invictam animi solicitudinem, infractam fortitudinem, & charitatem indefessam, quarum nullam à Deo facilè impetrarit, qui per insignem pietatem, & singularem morum integritatem has non meruerit; quod si expendis, non immeritò præcipuis in Confessario requisitis mecum annumerabis pietatis studium & spectatos mores. Cæterùm quæ & quanta ipsi necessaria scientia, non opus est dictô, quod hi Tractatus per se loquuntur.

REQUISITUM IV.

Nullâ fermè hac in praxi reliqua foret difficultas, modò inter Confessarios esset unanimitas: adlaborandum itaque

ſedulò, ut hæc præſtetur, & cum non perindè facilè futurum hactenùs conjiciam, ut inter omnes hæc vigeat, eò adnitendum, ut inter complures, eoſque præſertim, qui locorum vicinitate mutuam praxim ſtabilire juxtà & fovere queunt; quô fiat, ut qui forſan alieni erunt ſub initium, tantam videant (Dei adſpirante gratiâ) & Pœnitentium utilitatem & Confeſſariorum conſtantem multitudinem, ut & ipſi praxin illam lubentes amplectantur.

Atque ut indè exordiar, modus cogitandus eſt, quô inter non paucos tot Confeſſariorum votis expetita unanimis conſenſio ſtabiliatur. Florentiſſimarum quarumdam Diœceſium experientia per ſe loquitur, nihil opportunius, nihil præſtantius ad hoc eſſe, quàm conferentias (ut vocant) Eccleſiaſticas ſeu conſeſſus Eccleſiaſticorum conſultantium de rebus & doctrinis Eccleſiaſticis. Habent hi conventus præter uniformitatem praxis indè emanantem, alias etiam utilitates plurimas, quæ illos jure commendant. De illis mihi ſermo eſt, ubi valere juſſis ſimpoſiis jocis & dicteriis, procùl etiam pulsâ præſumptione, ſe-

clusis cotentionibus, animositate & obstinatione, statis temporibus non disputantur, sed examinantur Theologicæ quædam petitiones, vel potiùs materiæ Theologicæ non sublimes illæ, non frivolæ, at utiles, ad statum scilicet & Sacerdotum munus spectantes, ex. g. quî oporteat Sacerdotem domi orare, & studere? Quô modô in templo Catechismos & Conciones instituere, qualiter administrare Sacramenta, quæ illius debeat esse cum aliis conversatio &c.

Nos in eam temporis rationem incidimus, quô nihil administratione Sacramenti Pœnitentiæ utilius tractari queat: quia tamen (ut mea fert opinio) vixdùm fieri poterit, ut Confessarius hoc Sacramentum, ob dicta antè, eò quo par est modô administret, nisi pietate singulari & eximiâ morum probitate præditus sit, magno usui foret, si alter post alterum è conferentia seu consessu breviusculâ exhortatione singula quâque collatione ad collegas dissereret de pietate & integris moribus, quæ in Presbytero atque imprimis Confessario requiruntur.

Nec-

Nec est quòd dubitetur, quin in hujusmodi consultatione facili negotio comperire erit, quàm verè dixerit in Evangelio veritas: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matt. 18.

Quantum insuper boni & utilitatis parent istæ collationes, probant ea, quæ in illis faciliùs, certiùs, & multô copiosiùs discuntur, quàm particulari lucubratione & domestico studio: testem facio S. Isidorum, Qui "cum sit utilis, Lib. 3. de sum. bono cap. 14. „ inquit, ad instruendum lectio, adhibita tamen collatione majorem intel„ligentiam præbet, melius est enim „conferre, quàm legere; collatio siqui„dem docibilitatem facit, nam proposi„tis interrogationibus cunctatio rerum „excluditur, & sæpè objectionibus la„tens veritas approbatur, quod enim „obscurum & dubium est, conferendo cito perspicitur". Nec mirum: nam sæpissimè quod unum latet, patet alteri, & per hunc innotescit aliis: juniores conferunt eò sua studia; seniores experientiam, quilibet sua dubia, & omnes istud, in quo ipsi eminent, atque ita quodam loquendi modô, scientia omnium

ſit ſingulorum, imò & zelus & virtus omnium communicantur ſingulis. Noverat hoc zeloſiſſimus Saleſius, qui (teſte Godeau) collapſam Sacramenti Pœnitentiæ reverentiam reſtauraturus, "Congregabat Confeſſarios in re-„ſidentiæ ſuæ oppido ſingulis ſeptima-„nis: jubebat fieri aliis in locis ſingulis menſibus".

In Elog. B. Franc. de Sales.

Huic accedit: quod conferentes hôc pactô invitari ſoleant ad ſtudium, auditis namque quæſtionibus conſeſſu proximo diſquirendis felici quâdam neceſſitate omnes coguntur ſtudere, ut ad quæſita ſcitè reſpondere, & quidpiam in commune conferre queant. Ex quo fit nonnumquam, ut (ſi crebriuſculæ ſint collationes) tempus ſuccíſivum non tranſmittant luſui aut crapulæ, neque in occupationibus ſæculi, aut mundana converſatione inſumant, hoc eſt, non fiant horæ reliquæ illis tractandis, quibus tamquam ſpirituali veneno infectus langueret fortè, & jaceret ſtatus clericalis.

Huc quoque ſpectabit peculiariter exhortatiuncula antè dicta, ne in hæc vitia eatur, quin imò ut illorum loco intret

intret ſpiritus orandi, ſolitudinis amor, vittus ſtudioſitatis, & attenta tum obligationis, tum muneris Sacerdotum conſideratio, quibus uti nihil eſt clerum magìs condecens, ita nihil reperiri queat plebi utilius.

DUBIUM VIII.

Quem ſcopum habere, ſive quô eſſe animô oportet Confeſſarium in muneris ſui functione?

PEccata ſunt vulnera animæ, & Confeſſàrius animæ Medicus: quære igitur, quas intentiones, ut vocant, ars Medica exigat à Medico vulnus corporis curaturo; nec dubitâ, quin aptiſſimam medelæ animarum ideam unâ compereris.

Sex ad minimum intentiones curandis vulneribus poſtulantur: Prima, ſanguinem ad vulnus adfluentem tempori ſiſtere: hujus loco Confeſſarii munus eſt, cohibere voluntatem pravam peccatum lethale, alioquin cum æternæ ſalutis periculo fortaſſis continuaturam. Medicamina ſunt exhortationes, & pietatis exerci-

ercitia, illa ſcilicet, quæ & perſonæ, & illius peccato ſint opportuna.

Altera Medicorum ſolicitudo eſt, id quod forinſecus injectum infeſtat vulnus, ſine mora tollere: ut ſunt glandes, gladiorum cultrorumve cuſpides, & ligni fruſtula. Ut in hocce Confeſſarius Medicum referat, tollat ipſe, aut tollendas curet externas peccati mortalis occaſiones, quas continuò & ſine morâ pro circumſpecto Confeſſarii judicio & moderamine, nec non prudentiâ ſublatas oportet, ut dicitur Dub. 1. & 2. Tract. 2. quæſt. 6.

Tertiò, in animum inducit Medicinæ peritus, ex artis ſuæ præceptionibus ea, quæ intus & vulneri agnata officiunt, ſensìm reſecare & tollere: cujuſmodi ſunt oſſium contritorum particulæ, contuſa & emortua caro, humores noxii &c. Neque hìc deeſt, quod imitetur Confeſſarius, ſed ſpiritualis Medicinæ pharmaca impendat, quibus radices exſcindat, & internis vitiorum occaſionibus medeatur, has inter non raró eſt inſolens quædam animi propenſio in iram, libidinem, aut aliæ id genus morboſæ affectiones, quas Tract. 1. quæſt. 2.

&

& Tract. 2. qu. 2. Dub. unico, eò nonnumquàm intendi & recrudeſcere monſtratum eſt, ut peccati mortalis & proximæ & internæ occaſiones meritò nuncupentur.

Quartò ſtatuit Medicus partes ſanas, & non afflictas corroborare, & adversùs ea, quæ ex accidenti ingruerent, ſymptomata præmunire: hanc Medici curam æquiparat Confeſſarii ſolicitudo, quâ non ſolùm præſcribit medicamen adversùs peccata commiſſa, verùm quô & futurum præcavet & excludit, ne ille quoque morbus Pœnitentem corripiat, à quo forſan immunis fuit. Rem melius ſub exemplo capies: finge quempiam ex imperio Confeſſarii ſuſcipere novam vivendi normam, quâ caveat, ne in eadem relabatur peccata, fieri quandoque poteſt; ut novum hoc vitæ genus ſua comitentur pericula, quibus proindè oportet proſpectum. Si puſillanimitatis periculum ſubindè advertitur, hoc propulſandum eſt, objiciendo oculis Pœnitentium exempla eorum, quos plurimorum graviſſimorumque ſcelerum ſordibus, immerſos infinita Dei miſericordia inde extraxit & convertit; medebuntur

buntur quoque huic languori argumenta ſpei noſtræ; nam hæc innititur interminatæ Dei omnipotentiæ, quâ maximos atque in malo obſtinatiſſimos peccatores quandoque convertit: aliud in Dei miſericordia deprædicandâ reconditur pharmacum, quòd illa citra dubium mille modis Peccatorum noſtrorum magnitudine major eſt: ſupra hæc omnia præſentiſſimum hujus medicamen ſunt præſtantiſſima illa paſſionis, & mortis Chriſti Domini Salvatoris noſtri merita, quæ vivis & quàm maximè penetrantibus verbis ob oculos ponenda & extollenda ſunt, utpote quibus tota ſpes noſtra innititur, ut non confundatur.

Medicum corporis iterùm inſpiciamus: ille quod quintô locô ſtatuerat tandem abſolvit, dum vulnus ſanat: an hîc Medico inferior Confeſſarius? Nequaquàm, ſiquidem ut officii ſui partes adimpleat, opera danda ipſi, ut ſpiritualibus medicamentis voluntatem ægram ſanitati conetur reſtituere, hoc eſt, mentem ad terrena inflexam ad Deum convertat: antidotis venena pellat, id eſt, virtutis amplexu vitiorum amorem ejiciat,

ciat; voluntatem morbidam mortaliter peccandi non mitiget solùm & leniat, sed extirpet & radicitùs evellere adnitatur, quod præstat, dum voluntati moraliter pravæ surrogare conatur voluntatem candidam numquàm æternùm mortale iterandi: & denique eò collimet, ut sicut Medicus huic morbo purgans, illi evacuans, alteri sudoriferum & singulis morbis singula antidota præscribit, sic vindictæ cupido, mansuetudinem; venereis addicto castitatem; ebrioso, sobrietatem & singulis vitiis singulas opponat virtutes, & quò similitudinem persequamur, sicut sanum non dicimus corpus; cui aliquod dolet membrum, aut vulnus alicubi inflictum est; ita nec ille à peccati vulnere convaluit, qui ad mortale usque vel castus non est, vel vindictam appetit, vel vini amans &c. istorum enim nihil non exigit spiritualis valetudo; nec enim sanus est, qui ad Deum non est conversus, ad quem nemo convertitur, qui peccato absolutè, & æternùm non renuntiat.

Sexa vigilantiæ Medici pars est, ut membrum, quod fuit afflictum pristinâ

tem-

Prorsùs igitur convenit, ut quemadmodùm æger inchoatâ jam curatione se longò tempore non invisi à medico non patitur; ita & spiritualis æger brevi post tempore (quod octo aut plurium paucio-rumve pro Confessarii judicio erit dierum) rursùs Confessario sese exhibeat; dicatque quid præscripta medicamina profecerunt, & nova, si visum fuerit, ab eo excipiat: hoc ad similitudinem curationis corporalis identidem faciendum; donec pro Confessarii prudentia valetudini spirituali restitutus fuerit.

Postremò unum, obsecro, accuratâ mentis indagine ruminent, & sepositis paulisper præjudiciis expendant Confessarii, num Medicus sex illas intentiones in actum deducat unius alteriusve horæ spatio, & quô magis appareat, quò velim, num id tantillo tempore possit peragere in copore decem fortassis aut viginti vulneribus sauciato: Sanè ludibrio omnibus foret, qui vel dubitaret, quin majus intervallum necessum sit: nunc igitur iterum iterùmque peto, quâ verisimilitudinis apparentiâ nonnulli hâc tempestate Pœnitentes adeò salutis suæ incurii, ut animæ negotium, quod se in postremis habere

oſtendunt, tam facili negotio peragi exiſtiment, & auſint adigere Confeſſarium, ut tempore tam modico, officium ſuum adimpleat erga Pœnitentem conſuetudinarium, qui decem, viginti, aut plùs centum forsàn lethalia animæ ſuæ vulnera inflixit?

Unum ſupereſt, ut illum, ſine quo nihil poſſumus facere; quique Sacramentorum Author eſt; piis votis accedamus, ut eum, quem myſteriorum incomparabilis dignitas poſtulat, zelum diſpenſatoribus & prudentiam; Pœnitentibus verum Pœnitentiæ ſpiritum, & Sacramenti reverentiam miſericorditer largiri dignetur. Haud inficior ex iis, quæ dicta ſunt, apertè confici, quòd & in adminiſtrando, & ſuſcipiendo Pœnitentiæ Sacramento labor poſtuletur quorumdam perſuaſione major; verùm quî hunc excutient, aut quo colore detrectabunt Pœnitentes: ſi animum advertant, ſe illi Sacramento præparare, quod olim SS. Patres, & non ita pridem Conc. Trid. laborioſum Baptiſmum indigitarunt? Quod ad Confeſſarios attinet, abſit tam parùm Chriſtiana cogitatio, quâ minus laboris in anima à Confeſſa-

feſſario, quam in corpore à Medico ſanitati reſtituendo, inſumendum quis exiſtimaret; neque enim patitur tam ſancto miniſterio annexa pietas, ut quis moleſtiam, quam alii rebus corporalibus & perituris lubentes tranſcribunt, pro ſpiritualibus & æternis ſubire ſubterfugiant. Cæterùm quicquid id eſt laboris aut moleſtiæ, hoc ſublevaturus eſt ille, qui & Confeſſarios & Pœnitentes vel invitos invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & oneratis eſtis; & ego reficiam vos:* ille, quod aſperum videbatur, lene; quod amarum, dulce; quodque moleſtum, leve efficiet: quod continuis efflagitandum precibus, ut præſtet ille, qui in labore requies, in fletu ſolatium. Mat. 11.

FINIS.

TRACTATUS III.

QUI ACCESSIT

METHODO

Remittendi & retinendi

PECCATA

AUTHORE

GUMMARO HUYGENS Lyrano
S. T. D. in Academia Lovaniensi.



LOVANII,
Typis HIERONYMI NEMPÆI. 1674.
Cum Gratia & Privilegio.

PRÆFATIO
APOLOGETICA.

BENEVOLE LECTOR,

DUM priores Tractatus de methodo remittendi & retinendi Peccata edebam, alios me poſt hoſce additurum ſpopondi: hâc tamen lege, ſi primis benè verteret Deus. Nunc ecce adeſt Tractatus tertius, qui agit de occaſionibus per accidens. Nolim equidem æſtimes hujus editione me velle tibi præjudicare de fructu tractatuum priorum: tuo judicio id relinquo, an, quis, & quantus eorum fructus exſtiterit; vel, ſi malis, aliorum ſive Pœnitentium ſive Confeſſariorum ſententiam perquire, & tam ex his, quàm ex illis, quid quantumque utilitatis inde perceperint, facilè intellexeris. Sunt tamen inter Confeſſarios, qui methodum à me conſcriptam improbant, adversùs quorum objectiones te in hac

Præfatione (quæ idcirco nonnihil prolixior erit) præmunire constitui. Quare obsecro, ne mox acquiescas generalibus quorumdam assertiunculis, dum forsan dicent praxim in Methodo præscriptam nimis severam esse, perniciosam, impossibilem & similia, nihil interim determinando. Verùm optem, ut ab iis quæras, quidnam peculiariter in methodo improbandum ducant, quibusque argumentis probent istud non subsistere. Ipse enim nosti, nihili faciendas esse generales indefinitasque accusationes: sive enim liber quispiam sive illius Author, quamquàm injustissimè impetatur, non habet, de quo se expurget, nisi ad particularia & ad rem ipsam ventum fuerit. Alii erunt, qui vel audierint vel deditâ operâ conquisierint quorumdam Pœnitentium querimonias, illorum scilicet Pœnitentium, quibus Confessarii huic Methodo insistentes absolutionem differendam judicarunt. Tu verò nihil ob ista statue, si hâc de causâ methodum vel Confessarios illi insistentes traduci intelligas, nihil inquam statue, donec maturè, quæ hîc subjunguntur, expenderis.

Im-

Imprimis natum est fieri, ut Pœnitentes isti non ex integro, imò ne ex verò quidem negatæ vel dilatæ absolutionis causam referant. Si enim umquam in suum favorem vel judicent quidpiam vel enarrent, id vel maximè solent, ubi agitur de iis rebus, quibus illi tenaciter affiguntur, nimirum consuetudinarii consuetis suis peccatis. His accedit, quòd ea plerumque dicantur apud illos, qui ex ore eorum ista avidissimè rapiunt.

Sub hac Confessarii condemnantur inauditi, & quamvis multa falsò de se circumferri audiant, Confessionis equidem sigillo strictissimè vetantur, ne quid in sui excusationem adferre audeant.

Sed demus hîc illìcve Confessariorum quempiam fortassis reperiri; cui hanc praxim usurpanti error aut abusus (homines enim sunt) obrepserit, an ille methodo huic imputandus? An hæc eo titulo improbanda, etsi errorem istum non doceat? Dixerit hoc ille, qui omnem prorsus doctrinam eo nomine improbare ausit: nullam quippe invenias ne Evangelicam quidem, cui hoc privile-

vilegii, ut nemo istâ abuti quæat, donatum sit.

Percunctare, Lector, ab iisdem illis Confessariis, qui de ejusmodi abusibus queruntur, an reverâ ad has querelas ab iis impellantur abusibus, neque tum adhuc crede id affirmantibus, nisi videris illos pari zelo commoveri adversus gravissimos & sine numero plures abusus, qui indies committuntur ab iis, qui veluti immemores potestatis peccata retinendi, solâ remittendi facultate utuntur, seu potiùs abutuntur. Si reponant, sese horum abusus necdum observasse, in memoriam solummodò illis redige verba S. Caroli: " Manifestum, inquit, " est, hâc in parte Confessarios incuriâ " suâ maximam præbere causam, cur " in omnibus ferè opificiis & exercitationibus publicis peccata gravissima " inveniantur, & abusus intolerabiles, " sine quibus multi hodie existimant, nec " res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse". Et interjectis quibusdam prosequitur S. Carolus: " Si " Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis, non dubium " est quin plures deprehendet, qui numquam

„ quam, ut oportet, Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint".

Nec satìs fuerit hæc ipsis in memoriam redegisse, at contende, ut ab iis verba S. CAROLI singulatim expendantur, cogitentque hîc causam præberi non qualemcumque sed *maximam*, nec cur in uno alterove, sed *cur in omnibus ferè opificiis &c.* Hæc si probè expensa fuerint, vel desinent conqueri, vel suspectas habeto eorum querelas. Verùm de his postea pluribus in hoc ipso Tractatu.

Si dura nimis videantur hæc verba S. CAROLI, quid censebunt de expostulationibus ipsorummet Pœnitentium impœnitentium, qui in tremendo illo die, imò & per totam æternitatem impœnitentiam suam incuriis Confessariis nec immeritò, imputabunt? Sed de his rursus posteà, quandò nimirum quidquid latet apparebit, & nil inultum remanebit.

Dum plures, Benigne Lector, adibis ut plura de hâc methodo intelligas, facilè in ipsosmet incides, quorum S. CAROLO teste incuria maximam causam præbet, " cur in omnibus ferè opificiis & „ exercitationibus publicis peccata gra-

„ vissima reperiantur & abusus intolerabiles". Inter hos reperies, qui nullos umquam in fide, aut in vitiis istiusmodi hominum conditioni familiaribus examinant. Quosdam audies, qui aut nihil aut perparum de peccatis occultioribus, vel peccatorum radicibus eorumque occasionibus inquirunt, remedia non præscribunt, nec occasiones jubent resecare. Nonnulli occurrent, qui de confitentium conversione sibi abundè probatum existimant, modò illos non pigeat proferre verbulum istud, *doleo*. His se jungent & illi, quibus in perversissimis peccatoribus sufficit unicus (sic enim ajunt) gemitus aut singultus in sede confessionali operosâ Confessarii exhortatione tandem extortus. Alii prodibunt, qui principii loco habent, quòd Confessarii à pœnitentibus sibi ignotis non debeant inquirere, an peccata quæ confitentur ex consuetudine admiserint: imò non tenetur Pœnitens, inquiunt, Confessario de consuetudine interroganti respondere; mirum, si non addant, prout nonnulli, quod liceat beneficio restrictionis mentalis consuetudinem, quâ interim revera laborant, negare.

Nequa-

Nequaquam te ſeduxerit hæc illorum praxis, quæ ſicut in prioribus methodi Tractatibus fuit multimodè improbata; ita paucis in hac Præfatione denuò improbabitur, aſt hîc eô ſolùm nomine, quòd S. CAROLI doctrinæ adverſetur. Conſilia conferant ejuſmodi Confeſſarii, dicantque doctrinam his tractatibus comprehenſam novam eſſe, damnificam & nimis ſeveram, ſibi quoque, & aliis ad genus Confeſſariis injurioſam, nihil te moveant iſta. Neque fidem habeto iis, qui dicunt falsò ſupponi, quòd conſuetudinarii non convertantur ordinariè ſubitò. Multò minùs iſtis crede, qui non verebuntur fortè dicere, quòd viri pientiſſimi confeſſiones audierint ut ipſi; ipſos intellige, quorum præclaram ſcilicet confeſſiones audiendi praxim jam deſcripſimus.

Neceſſum eſt quippe, ut univerſa quæ objecta ſunt diſpliceant, cuicumque doctrina S. CAROLI non diſplicet, quare adversùm iſta omnia ſolummodò huc adferam doctrinam S. CAROLI, eam ſcilicet quæ per varias horum Tractatuum quæſtiones eſt diſtributa: ut vel hinc videant, num tota di-

ctarum querimoniarum turmæ non æquè adversus illam militet.

In primò Tract. usi fuimus eâ, quam tradit S. CAROLUS his verbis: "Non
„ solùm absolvere eos non possunt, qui
„ peccato mortali valedicere constanter
„ non decernunt, sed nec illos etiam,
„ qui quamvis asserant peccatum se
„ velle deserere, tamen unâ dicunt vi-
„ deri sibi, non se commercium illius
„ esse relicturos; nisi ea velint remedia
„ apponere, sine quibus Confessarius
„ judicat ad vomitum redituros.

„ Est præterea consultum absolutio-
„ nem differre, donec evidens appareat
„ emendatio in iis, qui tametsi dicant ac
„ polliceantur, quòd se eximent peccato,
„ tamen Confessario probabilem fa-
„ ciunt metum, ne contrarium contin-
„ gat. Ex hoc genere esse solent pleri-
„ que adolescentes, qui in otio vitam
„ agunt, qui luxui dediti crapulam &
„ amores inhonestos sequuntur, qui li-
„ bidinibus pascuntur, verba obscœna
„ proferunt, murmurant, in odiis ac
„ detractationibus versantur quotidie, &
„ confessionem differunt in ultimos qua-
„ dragesimæ dies. Idem faciendum est

cum

„ cum iis (ſcilicet ut differatur abſolu-
„ tio) qui cùm multos annos in peccatis
„ ſuis perdurant, nullâ interim adhibitâ
„ operâ in emendatione vitæ, in eadem
„ peccata iterum atque iterum labuntur".

Dum hîc audis vocem *conſultum*, ne propterea æſtimes S. Carolum ſignificatum voluiſſe, quòd iſtud non ſit præcepti ſed conſilii tantùm, nam illicò ſubnectit: *Idem faciendum eſt cum iis (ſcilicet ut differatur abſolutio.)* Cenſet ergò idem agendum cum anterioribus, quod aſſerit de poſtremis: his verò non dicit *conſulto* abſolutionem differri, ſed utendo verbis iſtis, *faciendum eſt ut differatur*, ſatìs ſuperque indicat abſolutionem debere differri.

Verumtamen ne dubium ullum de Sancti Præſulis mente ſuperſit, en ſenſum linguâ ipſius vernaculâ clariſſimè expreſſum: " Si differiſca anco l'aſſo-
„ lutione, finche ſi vede qualche emen-
„ datione, à quelli che quantunque di-
„ chino, & promettino di laſciar il pec-
„ cato, nondimeno il confeſſore giudica
„ probabilmente, che non lo laſchia-
„ ranno. Id eſt, differatur adhuc abſo-
lutio,

„ lutio, donec videatur aliqua emenda-„ tio, illis qui quantumvis dicant & „ promittant relinquere peccata, nihilo-„ minus Confessarius judicat probabiliter, illos peccata non relicturos".

Altero in tractatu usurpata sunt hæc: " Deindè nec eos absolvat, qui cum pec-„ catis mortalibus simul etiam eorum „ occasiones vitare planè non propo-„ nunt...... sub occasionem peccati „ mortalis omne illud cadit, quod pec-„ candi mortaliter causam administrat, „ eo quod hujusmodi est, quod vel per „ se in peccatum inducat, vel ejus oc-„ casione confitens usque adeo ad pec-„ candum allicitur, ut certè Confessa-„ rius metuere possit, quod ex perverso, „ quem diu induit habitu, imposterum „ non magìs abstinebit, quàm prius à „ peccato, si in iisdem occasionibus ver-setur".

" Prioris generis occasiones, quæ sci-„ licet suaptè natura trahunt in con-„ sensum peccati mortalis, sunt istius-„ modi: artem profiteri tabellis charta-„ ceis, vel aleis ludendi, domum tenere „ in hunc finem aliis paratam: aliquam „ cum quâ fit peccatum, vel apud alium

suo

„ suo rogatu fovere, vel quocumque „ modo in eisdem ædibus habitare: per- „ sistere in assidua collocutione, aspectu, „ quotidiano congressu, & similibus tur- pium amorum irritamentis.

„Itaque si pœnitentem iis aut similibus „ impedimentis irretitum esse perspexe- „ rit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum „ etiam re ipsâ extat, veluti quod con- „ cubinam alit, vel quid hujusmodi, „ Confessarius eum absolvere non de- „ bet, nisi priùs illam ipsam occasionem prorsùs abscindat.

„ In aliis verò, ut aleâ ludere com- „ muniter, in venereis aspectibus diu „ esse, conversari periculosè cum femi- „ nis, perdurare in tactibus impudicis, „ si eis nuntium remittere non pollicea- „ tur, vel si spondet, aliàs tamen cum „ de eodem fidem fecerit, vitam non „ emendaverit, absolutionem differat „ usque eo, dum emendationis quædam argumenta videbit".

In tertio Tractatu exhibemus eorum nonnulla, quæ S. CAROLUS capite suarum instructionum decimo septimo: " Alterius generis occasiones, quæ vi- „ delicet ex conditione peccantium su-

„ muntur, ea facta sunt, quæ etiamsi
„ per se licent, tamen probabiliter ti-
„ metur, ne is, qui confitetur, in eadem
„ ipsa, quæ olim admisit peccata, relap-
„ surus sit, si in eisdem operibus, in
„ quibus antea versatus est, perseveret.
„ Tales ob mundi corruptelam plurimis
„ esse solent, in castris esse, mercatu-
„ ram sequi, Magistratus obire, Advo-
„ cati & Procuratoris officia exercere,
„ aliaque id genus; quæ dum quis tra-
„ ctat, fit sæpè, ut vocibus blasphemis,
„ furtis, injustitiâ, calumniis, odiis, frau-
„ dibus, perjuriis & aliis ejusdem farinæ
„ sceleribus, quibus Deus offenditur,
„ tantam sibi eorum consuetudinem as-
„ sciverint, ut conjectari liceat, si in eis-
„ dem officiis maneant, cum se rursus
„ eædem illæ oblaturæ sint occasiones,
„ quòd fortiorem animum ad resisten-
„ dum peccatis non opponent, quàm
„ hactenus fecerint; quódque inde se-
„ quitur in idem lutum ex integro pro-
„ labentur. Omnes qui sunt hujusmodi
„ secundùm D. Augustinum, vel nego-
„ tium ipsis periculosum deponant, vel
„ saltem absque licentiâ & obedientiâ
„ pii ac probati Sacerdotis non exerce-
ant:

„ ant; qui quidem hominem eo modo „ constitutum absolvere non debet, si „ existimat ad eadem peccata rediturum, „ quamdiu in antiquâ occasione perse- „ verat: sed æquum est, ut vitæ emen- „ datio, & quædam illius approbatio per „ temporis intervallum exspectetur. At- „ que hîc vigilandum est eô diligentiùs, „ quô manifestum est hâc in parte Con- „ fessarios incuriâ suâ maximam præ- „ bere causam, cur in omnibus ferè opi- „ ficiis & exercitationibus publicis pec- „ cata gravissima inveniantur & abusus „ intolerabiles, sine quibus multi hodie „ existimant, nec res etiam per se æquis- „ simas rectè exerceri posse.

„ Ex. gr. in Magistratu adeundo & „ aliis officiis assumendis multa jura- „ menta reperiuntur, quæ servari debeant, „ quæ tamen postea non servantur.

„ Inter Consiliarios, Advocatos, Pro- „ curatores, clientium perniciei ac dam- „ nis incumbitur, contra id quod pro- „ pria conscientia dictat faciendum.

„ Idem fit in bello, ubi duellis locus „ datur, ubi odiis, homicidiis, plena sunt „ omnia. Inter ludendum maledicta vi- „ gent, rapinæ, quæstus meretricii.

Apud

„ Apud Mercatores hæc regnant ,
„ usuræ, mercium fraudes, cum vel eas
„ miscent, vel malas pro bonis in ma-
„ num porrigunt, multoque pluris,
„ quàm pretium justum est, eas distra-
„ hunt.

„ Plerique opifices festis æquè ac
„ profanis diebus ita occupantur, ut
„ numquam neque cultui divino vacent,
„ neque Conciones frequentent, nec se
„ solùm, sed ad similem modum totam
„ distentam familiam habent.

„ Quamobrem magnô numerô in-
„ veniet Confessarius inter eos, qui ta-
„ lia exercent, omnem vitam ferè in
„ peccatis mortalibus duxisse, qui qui-
„ dem absolutionis capaces existimari
„ non debent, nisi diligentia prius accedat,
„ quâ simul & ab involucris hujusmodi
„ liberentur, & fortiores contra peccatum
„ reddantur.

„ Quòd si Confessarius posuerit ma-
„ jorem industriam in iis examinandis,
„ non dubium est, quin plures depre-
„ hendet, qui numquam (ut oportuit)
„ Sacramento Pœnitentiæ, peccata sua
„ expiarint. Quod cum fuerit ab eo
„ animadversum, ostendat eis, præter-
quam

„ quam quòd de emendatione majorem „ probationem facere debebunt; vel „ opificii genus, in quo ſunt deſerere, „ totius etiam vitæ confeſſionem inſti- „ tuere, ac ſtudiô vehementi in ſalutem „ ſuam incumbere tenebuntur.

„ Multò magìs Confeſſarius circa ea „ officiorum actionumque diſcrimina „ extirpanda allaborare debet, quæ nul- „ lam vel neceſſitatem Reipublicæ, vel „ utilitatem ſecum ferunt, quæ quam- „ vis ex priori ordine rerum non ſint, „ (illæ enim per ſe ad peccatum mor- „ tale inducunt, ac propterea neceſſariò „ à quovis homine quocumque in ſtatu „ relinqui debent) nihilominùs tamen „ ad malè agendum inflectunt, ac fa- „ cillimô negotiô ſæpiſſimè ad diverſa „ peccata trahunt: ut choreis intereſſe, „ agere cum blaſphemis, verſari cum „ ſcurris, malorum ſe ſodalitatibus ho- „ minum adjungere, tabernas frequen- „ tare, otio indulgere, ſimileſque actio- „ nes, in quibus vel plurimùm peccare „ mortaliter homines ſolent, qui quidem „ antè non debent abſolvi, niſi animô „ abaliènatô penitùs, illa ipſa ſe deſertu- ros eſſe polliceantur".

 Ha-

Habes hîc doctrinam S. CAROLI succinctim propositam, quâ in hisce Tractatibus usi sumus, quaque tuearis Methodum adversùs eos qui dicunt, quòd severitatem nimiam redoleat, sapiatque novitatem, consuetudinario absolutionis beneficium differre. Objiciant itaque ingratum auditu esse alterius praxeos Confessariis, ipsisque injuriæ notam tantùm non inurere, hîc dici, quòd secùs quàm illi soliti sint, Pœnitentds ignotos examinare oporteat, quodque necessum sit tam externas peccatorum occasiones, quàm internas eorum radices disquirere: querantur, quòd non indirectè dumtaxat, sed & directè & palàm impugnetur refellaturque praxis eorum, qui omnes prorsùs absque ulla dilatione, aut propemodum omnes absolvendos judicant: quidquid tandem istorum aût his similium commenti fuerint objecerintvé, tu unâ hâc petitione ipsis responde, & objecta retunde: Quære ex eis, num inficiari possint, quòd ea ipsa objici queant adversùs solidam S. CAROLI doctrinam, quam subsequentibus potissimùm tradidit textibus: *Idem faciendum est cum iis (scilicet ut diffe-*

differatur absolutio) qui cùm multos annos in peccatis suis perdurant, nullâ interim adhibitâ operâ in emendatione vitæ in eadem peccata iterum atque iterum labuntur. Alibi : *Qui quidem* (Confessarium intelligit) *hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiquâ occasione*, opificiô suô videlicet, vel exercitatione *perseverat: sed æquum est, ut vitæ emendatio & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur. Atque hîc vigilandum est eô diligentius, quô manifestum est hac in parte Confessarios incuriâ suâ maximam præbere causam, cur in omnibus ferè opificiis & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse.*

Hóc itaque assero : vel hæc aliaque complura, quæ contra Methodum mussitant, fatebuntur eodem planè modo contraria esse S. CAROLI doctrinæ, vel dicent illi tantùm doctrinæ adversari, quam ego isthinc deduxi aut superaddidi. Si prius dixerint, S. CAROLUM impugnant : neque solum sed & illos omnes, qui doctrinam ejus in ipsis qui-

dem articulis, qui his Confessariis adeò sunt invisi, comprobarunt commendaruntque: quod (ut ceteros omittam) Episcopi Galliæ in solemni isto & frequenti totius Cleri Gallicani Conventu Anno 1655. præstiterunt.

Dum istius Conventûs mentio incidit, non abs re facturum me arbitror, si ex epistola illius jussu decretis S. CAROLI præfixâ, huc pauca adferam, quibus nimirùm oppositam tam facilè absolvendi corruptelam acriter perstringit: "Præter illam, inquit, doctrinæ „ moralis pravitatem, quæ facilè, nisi „ provideatur, Christianorum mentibus „ illabetur, non mediocri nos afficit do- „ lore perniciosa quorumdam Confes- „ sariorum in concedendâ promiscuè „ pœnitentibus absolutione facilitas, „ quam illi falsis pietatis coloribus præ- „ texunt; quasi hoc modo illos à pec- „ cato paulatim averterent, & à despe- „ ratione ac religionis contemptu retra- herent".

Jam verò adduci nequeo, ut credam eos, quorum querelas hîc exhibuimus, palàm dicturos, quòd doctrina S. CAROLI severitatem nimiam contineat,

quòd ſapiat novitatem, quòd Confeſſariis alia praxi utentibus ſit injurioſa, quodque multos eorum ſine juſtâ ratione accuſet: hæc, inquam, eos in S. CAROLUM ejuſque doctrinam palàm dicturos minimè mihi perſuaſerim, quamquàm in animo, aut fallor, hæc omnia prorsùs ſentiant.

Supereſt igitur, ut dicant, eam doctrinam, quam dictis S. CAROLI conformem judicavi, ſuis iſtis objectionibus impeti: quod an rectè, rogo, ne ſtatuas priùs, quàm duo, quæ hìc ſubjiciam, examinâris. Primum eſt, an iſtud quod mihi attribuunt, non doceatur ad verbum à S. CAROLO, aut ex illius doctrinâ ut minimùm non deducatur conſequentiâ legitimâ.

Alterum poſtulo, ut perquiras num doctrinam, quam fortaſſe dicent à me & non à S. CAROLO tradi, non ſatis probarim eo loco, ubi eam tractavi: quare hîc ſuperſedeo. Univerſa quæ Præfationem eò excreſcere fecerunt, non obſcurè innuunt hæc iſto fine dicta eſſe, ut palàm fiat, pauculas ab antedictis effingi poſſe objectiones, quibus non æquè S. CAROLI doctrina, quàm

mea impetatur. Si quis igitur eas obtrudere perrexerint, optarim ex animo, ut candidè fateantur, sese S. CAROLI doctrinam quoque improbare. Quó posítô eam S. Literis consentaneum, S. Patribus familiarem, & rationi atque experientiæ prorsùs conformem pluribus deinde (quamvis id in prioribus sat præstitum esse mihi videbatur) adstruere & stabilire conabor.

Timerem, Benigne Lector, ne benevolentiâ tuâ nimiùm præfatus abuterer, nisi confiderem non posse non gratum tibi accidere, ut adhuc refellam aliquorum objectionem, quæ si authoribus illius creditur, adeò valida est, ut totam Methodi doctrinam in primo suo fundamento concutiat ac prosternat. Sic habet objectio: consuetudinariis quibuscumque Deus numquam non offert gratiæ auxilium plenè & proximè ad conversionem sufficiens; mox igitur seu brevissimo tempore & ferè in instanti perversissimus quisque converti potest facilitate summa, negotio nullo, non secùs ac si gratiâ opus non esset: nam quæ requiritur, semper adest tantâ plenitudine & promptitudine, ac si natura ipsa sibi suffi-

ſufficeret: audiſti objectionem. Quis jam miretur, quòd dicant fruſtraneum eſſe, vel in diem unicum pœnitentibus integrè confeſſis abſolutionem differre? nullos omninò ab hac Regula generali excipiendos putant, ne illos quidem qui millena forte ſacrilegia & perjuria commiſerunt, eſto inſuper adulteria, & ebrietates atque omnis generis nequitias multos in annos accumulaverint, modò inter Pœnitentes, ut vocant, numerentur. Si verò, quos ipſi pœnitentium loco habeant, petieris. Reſp. nullos non, dummodò dixerint: *Accuſo me de his & iſtis, doleo, meâ culpâ*, ſed vel maximè & ferè nimiùm pœnitentes reputabunt, ſi quis gemitus ab iis extorqueri tandem valeat. *O arctam cœli viam! O anguſtam vitæ portam!* ſcilicet in quam communiter tantâ intratur facilitate, & quidem cum ingentibus iſtis flagitiorum plauſtris! ô verè laborioſum ſed ſine labore baptiſmum! etenim ſi in veritate ſubſiſtat, quod in hunc modum de ſuâ iſtâ gratiâ peccatorum pertinaciæ amiciſſimâ aſſerunt, numquam eleëmoſynis, numquam jejuniis opus eſt; nullo prorsùs labore, nullis preci-

 bus,

bus, nullâ denique præparatione umquam ad conversionem enitendum est, quæcumque demum crimina præcesserint.

Pari jure ad comparandum nobis magnum istud perseverantiæ donum illorum nullo indigebimus. Eradantur igitur, si ita est, è sacro Textu sententiæ omnes, quæ istorum aliquid exigunt, aut præcipiunt. Parerga vocentur &
Psalm. 84 falsa hæc aliaque his affinia : *Converte*
Thren. 5 *nos Deus salutaris noster . . . . . . Converte nos*
Lucæ 14 *Domine ad te, & convertemur . . . . Conten-*
1 Thess. 5 *dite intrare per angustam portam . . . Sine in-*
Lucæ 18 *termissione orate . . . Oportet semper orare, &*
Marci 13 *non deficere . . . . . . Quod vobis dico, omni-*
Ephes. 6 *bus dico, vigilate . . . . . Accipite armaturam*
Matth. 6 *Dei, ut possitis resistere in die malo . . . Ne nos inducas in tentationem &c.* Etenim si scelestissimis quibusque semper adsit gratia plenè & proximè sufficiens pro conversione & perseverantia, nîl ultra pro iis à Deo expectandum est aut petendum.

Dum hæc dico, erunt fortassis, quibus famosæ illius de gratia disceptationis mentionem facere videbor. Nequaquam in hujus dictionis scopus: quid verò ad bonam

bonam peccatoris converſionem referat, utrâ de divinæ gratiæ adjutorio quiſpiam ſit imbutus ſententiâ, pluribus (ſi tempus & argumentum ferrent) facilè commonſtraſſem.

Quiſquis interim vel tenuiter ſacris in litteris verſatus eſt, imò ſi inter Chriſtianos educatus, abundè novit à veritate quàm maximè alienum eſſe, quòd pro converſione pariter & perſeverantia nemo orare, laborare &c. debeat: quare à quacumque parte celebris de gratia controverſiæ quis ſteterit, velut erroneum & planè abſurdum cenſebit, quòd Deus conſuetudinariis quibuſcumque etiam pertinaciſſimis numquam non offerat gratiæ ſuæ auxilium plenè & proximè ad converſionem ſufficiens. Pluribus, fateor, pro rei momento adverſus doctrinam iſtam de tali gratiæ auxilio agendum foret, niſi perſuaſum mihi eſſet, quòd ipſoſmet authores pudebit tam pudendum errorem prælo divulgare: hactenus enim, quod ſciam, nemo Catholicorum id fecit.

Hi ipſi, qui de laborioſo Baptiſmo hoc eſt Pœnitentiæ Sacramento tam abjectè ſentiunt, mira quoque de antiquis

pœnitentiis conjiciunt. Illas intelligo, quæ teste Morino, juxta certos Canones per tredecim, vel, ut alii, duodecim sæcula fuerunt observatæ in occidente & usque modo servantur in oriente. Si dixerint, has pœnitentias conversis solummodò in satisfactionem fuisse injunctas; ast convertendis nullatenus in præparationem ad suam conversionem, sive ut ad conversionem ritè disponerentur: Si, inquam, hoc dicant, nullo negotio redarguuntur: Nihil enim clariùs vel inspicienti solùm antiquos Canones: ecce unum è mille, cui in Conc. Tolet. III. subscripserunt Hispaniarum & Galliciæ Episcopi: " quoniam comperimus per quas-
Concilium Tolet. III. Can. 11.
„dam Hispaniarum Ecclesias non secun„dùm Canones, sed fœdissimè pro suis „peccatis homines agere pœnitentiam, ut „quoties peccare libuerit, toties à Pres„byteris se reconciliari expostulent: ideò „pro coërcenda tàm execrabili præsum„tione, id à S. Concilio jubetur, ut se„cundùm formam Canonum antiquo„rum detur pœnitentia, hoc est, ut priùs „eum, quem sui pœnitet facti, à Com„munione suspensum, faciat inter reli„quos pœnitentes ad manus impositiónem

„nem crebrò recurrere. Expleto autem „satisfactionis tempore, sicut Sacerdota-„lis contemplatio probaverit, eum Com-„munioni restituat. Hi verò qui ad pro-„pria vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, „vel post reconciliationem labuntur, se-„cundùm priorum Canonum severitatem damnentur". Et verò, si ad satisfactionem solùm conduxissent, numquid potiùs post absolutionem quàm ante illam fuissent istæ pœnitentiæ peragendæ? Hoc enim suo ipsorum judicio pœnitentibus istis ad legitimam satisfactionem longè magìs profuturum fuisse censent. Neque dici potest, ut quidam aiunt, æquo omnes à Canonibus præscriptæ pœnitentiæ ad forum externum solummodò spectarint, nam quædam etiam pro occultis criminibus fuerunt impositæ, imò & pro merè internis, quæ adversus nonum & decimum Decalogi præceptum committuntur. Vide, si placet, in actis Conciliorum Mediolanensium Canones à S. CAROLO citatos, & in ordinem præceptorum Decalogi digestos. Inter quos & hunc legimus: Si Clericus aut Laicus concupiscit fornicari, pœnitens erit annos duos.

Quæ

Quæ hîc obiter & ex occaſione cujuſdam objectionis de Canonibus pœnitentialibus dicta ſunt, nullatenùs eò reſpiciunt, quaſi mea foret ſententia, quòd Confeſſarii hodie debeant perinde ac olim illorum rigori inſiſtere: nequaquam is mihi eſt animus, quod uti in hiſce Tractatibus non ſemel declaravi, ita & rurſus declaro. Volui nihilominus horum Canonum mentionem hîc injicere, ut vel ſic pateret, quorum exemplo S. CAROLUS in pœnitentibus requiſierit majorem præparationem, quam exigant illi Confeſſarii, " quorum, ipſo ,, teſte, incuria maximam præbet cau- ,, ſam; cur in omnibus ferè opificiis & ,, exercitationibus publicis peccata gra- ,, viſſima inveniantur, & abuſus intolerabiles".

In Feſto S. Caroli. Hac in re, ni fallor, potiſſimùm Sanctiſſimus Præſul exhibuit piam illam & verè Paſtoralem ſolicitudinem, de quâ his verbis canit Eccleſia: " Ut ſicut ,, illum Paſtoralis ſolicitudo glorioſum reddidit" &c. nec defuerunt tamen viro tanto, dum viveret, ſui quoque æmuli, & hi quidem non infimæ notæ ſolùm, aut vitæ diſſolutioris, ſed & tales, quibus vitæ ipſo-

ipsorum institutum perinde ac munia, quæ in Ecclesia obibant, singularem tribuebant authoritatem. Ast egregius hic Christi imitator, uti patientiam & pœnitentiam scriptis suis docuit, ita hâc occasione rarô quoque exemplô utramque adeò exhibuit, ut hoc titulo de illo pronuntiet S. Franciscus Salesius insigne hoc elogium: " Pluris illam facio mansuetu- Parte 3. Introd. cap. 3
,,dinem & lenitatem, quâ B. Carolus Bor-
,,romæus longo tempore publicas, quas
,,celebris quidam ex ordine summè re-
,,formato concionator pro concione &
,,in suggestu in eum depromebat, sugil-
,,lationes æquanimiter tulit: quàm om-
,,nes, quas ab aliis umquam excepit con-
tradictiones".

Sat præfatus voto finiam: det utinam Deus S. Caroli doctrinæ sequacibus imitari præclarum istud mansuetudinis & patientiæ ejus exemplum, etsi contingat illos vel à probis vel ab improbis quoquo modo exagitari aut traduci propter tanti momenti veritatem, quam S. Carolus ex maturo tam è diversis Regularium Ordinibus, quam de Clero Theologorum consilio, tam sollicitè inculcavit. Id tibi Lector mihique apprecor. Act. Eccles. Mediolan. part. 4.

AD
POENITENTEM.

Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5.

Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt? 1. Pet. 4.

Noli peccare poſt veniam: noli vulnerari poſt curam: noli ſordidari poſt gratiam. Cogita graviorem culpam eſſe poſt veniam: renovatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtiùs hominem ſordidari poſt gratiam. Chryſoſt. ſerm. de lapſu primi hom. tom. 1.

Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, ſi tamen eſtis pœnitentes, & non eſtis irridentes, mutate vitam. Aug. hom. 41.

ORATIO

ORATIO CONFESSARII AD DEUM.

Ex Sap. cap. IX.

DEus Patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbô tuô, & sapientiâ tuâ constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, ut disponat orbem terrarum in æquitate & justitiâ, & in directiòne cordis judicium judicet. *Deprecor per passionem, quam sapientia increata sustinuit in naturâ creatâ, quam assumpsit propter nos homines, & propter nostram salutem*, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegisti me *Confessarium* populo tuo, & judicem filiòrum tuorum & filiarum..... Mitte illam *sapientiam* de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè,

TRACTATUS III.

De occasionibus peccati mortalis, quas S. Carolus per accidens *vocat.*

QUÆSTIO PRIMA.

An ex discrimine, quod inter occasionem per se & per accidens intercedit, aliquid ad praxim Confessariorum derivetur?

QUæstione primâ secundi Tractatus obiter insinuatum est, occasionem per se peccati mortalis eam vocari, quæ communem ob infirmitatem nata est homines ad peccatum mortale trahere:

occasionem verò per accidens dici, quæ non ob communem hominum infirmitatem, sed ob singularem hujus aut istius indispositionem speciatim nata est hunc illumve pertrahere in mortale peccatum.

Hinc patet, quàm sæpissimè evenire posse, ut quod uni est occasio per accidens, non ideò sit ejusmodi occasio alteri.

Consectaneum item est, citiùs deprehendi, quid à pœnitente titulo occasionis per se, quam quid titulo occasionis per accidens sit resecandum. Consectaneum, inquam, illud est, quoniam occasio per se (uti dictum est) ex communi infirmitate; per accidens verò ex peculiari dignoscitur: at nemo ignorat, communia faciliùs, quam specialia innotescere.

Quin & in occasione per accidens præter indispositionem singularem (quæ ex vitâ anteriori potissimùm noscitur) præsens insuper conversio consideranda est, & in comparationem adducenda. Ponderanda namque sunt hinc præsentis conversionis indicia; illinc expendenda est anterioris vitæ indispositio, & sedulò examinandum, quid spei, quidvè timoris

ris ſuperſit, ſi nimirum illud, quod antè fuit occaſio per accidens, poſt hac non reſcindatur.

Quamquam enim idem illud poſt converſionem ſæpe adhuc maneat ejuſmodi occaſio, fit tamen quandoque aliter, dum converſio imbecillitatem ſingularem mutat in communem. Exempli gratia: officium Judicis, quod huic homini antè erat multorum mortalium per accidens occaſio, poteſt inſignem ob converſionem non eſſe ampliùs talis poſtea occaſio.

Ex his, quæ de diſcrimine inter utramque occaſionem dicta ſunt, tria praxi peropportuna Corollaria deducimus.

COROLLARIUM I.

Evenire poteſt, ut hic pœnitens, quia fortior eſt ad reſiſtendum tentationi, quæ comitari ſolet officium Judicis, Confeſſarii vel advocati, in eo ſine culpâ perſeveret; ubi alius ad reſiſtendum illi tentationi imbecillior iſtiuſmodi officium deſerere debeat.

SECUNDUM.

Contingit nonnunquam, ut aliquid post seriam conversionem absque peccato retineri possit, etsi istud ante conversionem " tale fuerit, quod " tamquam occasionem per accidens rescindere tum oportebat.

Observandum est, eam subinde reperiri dispositionem in pœnitente post conversionem, ut quod ante fuerat ipsi occasio per accidens, postea desinat esse pro tempore tantum ejusmodi occasio, quòd scilicet bona dispositio per conversionem acquisita prævideatur rursus immutanda. Tum verò si istud difficulter rescindi possit, necessum est, ut Confessarius satagat, bonam istam dispositionem opportunis virtutum exercitamentis augere, ut si fieri possit, istud numquam ampliùs illi fiat occasio per accidens.

TERTIUM.

Quandoquidem quidpiam dicatur occasio per accidens ob peculiarem hujus illiusve indispositionem, non admodum diffi-

difficulter obvenit, ut officia ex se honesta, imò & ipsius pœnitentis familiæ alendæ omninò utilia, nihilominus sint ipsi occasio per accidens peccati mortalis, quæ proinde sine magna difficultate resecari non poterunt. Tùm verò longè majori circumspectione opus est: Primò quidem ut Confessarius sedulò examinet, an quod ante conversionem erat occasio per accidens, adhuc maneat talis post conversionem.

Secundo, expendendum solicitè, an facilius futurum non sit, mutare pœnitentis dispositionem, ut illa desinat esse occasio, quàm ad officia ista deserenda pœnitentem permovere. Verùm hic rursus considerandum est, quod quædam officia sint istius generis, ut vix possit dari casus, quo retineri possint ab iis, qui illorum occasione quodam peccatorum genere deliquerunt.

 p. 251

tellectum voluit, oculum eruendum, manum abscidendam &c. modò scandalum sive *per se* sive *per accidens* inde obtingat.

Imò non malè dixeris occasionem, quæ *per accidens* vocatur, huic homini esse occasionem *per se*, si ipsum cum speciali suâ imbecillitate spectaris: vocant nihilominus illud occasionem *per accidens*, quia præter id, quod in aliis fieri solitum est, evenit ut huic personæ sit delinquendi occasio.

Quod itaque occasionem *per accidens* æquè ac occasionem *per se* rescindere oporteat, etiam exemplo comprobatur: nam proculdubio dicenda est occasio *per se*, in eisdem ædibus cohabitare personæ alterius sexûs, quâcum sepiùs contrà castitatem peccatum admissum est. Ast alium fingamus tantæ imbecillitatis ad resistendum huic peccato, ut ipsi æquè periculosum sit ancillam assumere, etsi numquam cum eâ antè peccaverit: Hoc ità se habente, non minus erit huic illicitum in ædibus suis habere ancillam quamcumque, quam isti talem retinere, cum quâ frequenter antè peccavit. Ex quo rursum patet, nihil tum interesse an

Haud equidem inficior, quod discrimen inter utramque illam occasionem sit omninò servandum, habet enim usus non contemnendos. Conducit quippè ad dignoscendum, quod aliquid possit esse occasio uni, etiamsi non sit alteri, dum nimirum est tantùm occasio per accidens. Præterea hinc facilè videtur quidpiam eidem posse uno tempore potiùs, quam alio esse occasionem per accidens: & denique hinc manifestum est, quod munia de se honesta possint alicui singulari personæ esse per accidens occasiones mortaliter delinquendi.

DUBIUM II.

An occasio per accidens subinde magis vitanda sit, quàm occasio per se.

MAgis est vitanda, quando magis est periculosa; dicetur autem magis periculosa, si trahat ad peccatum graviùs; vel si ad æquale, sed illud quod ab occasione per accidens timetur, propinquiùs immineat.

Prius ostenditur hoc exemplo: demus Confessarium, cui audire Confes-

DUBIUM III.

Utrùm ad praxim Confessariorum faciat distinguere inter occasionem per accidens reipsâ positam, & occasionem per accidens posteà ponendam, & an illud etiam obtineat in occasione per se?

EX iis quæ partim hoc Tractatu tertio, partim secundo, dicta sunt de vitandis occasionibus peccati mortalis, necdum fortè satis manifestum est, quid discriminis hâc in parte intersit inter occasionem reipsa positam, & illam quæ est ponenda. Illud itaque est, quod occasio reipsa posita (velut si quis concubinam alat) ante absolutionem jam tum debeat esse sublata; secus de occasione ponendâ. Ex. gr. dum pœnitenti interdicitur titulo occasionis frequentare posthac quoddam consortium, quod ei scitur futurum occasio moraliter peccandi; hic enim sufficere potest firmum pœnitentis propositum occasionem istam deinceps vitandi: si hinc intuleris, ergò pariter ut pœnitens absolutione donetur, sufficiet, modo polliceatur concu-

binam

binam ante assumptam domo posthâc emittere, prorsus negabitur sequela. Nam occasionem reipsa positam non rescindere est velle illam retinere, ac proinde est interpretative saltem velle peccare. Nec refert, quod in præsenti decernat occasionem illam posteà tollere, si namque non tollat eam, dum tamen potest, censetur velle ipsam in tempus retinere, atque ita in istud tempus dicetur velle peccati periculum, adeoque etiam ipsum peccatum. At illorum nihil obtinere necessum est, dum agitur de occasione demum ponendâ, & tali quam pœnitens firmiter proponit, quantum poterit, in futurum vitare.

His ita se habentibus, facilè advertitur, cur *S. Carolo* in occasionibus re ipsa positis, ut sunt illæ de quibus Tract. 2. quæst. 6. nequaquam sufficiat, ut ante absolutionem pœnitens polliceatur, se occasiones amoturum: sed voluerit ut ante absolutionem illæ reipsà essent sublatæ: ex iis vero quæ cap. 16. ait de vitandis istis occasionibus, quæ postmodum ponendæ sunt, manifestum evadit, quod juxta mentem *S. Caroli* Confessario possit esse factum satis per firmum

& constans pœnitentis propositum ejusmodi occasiones in tempus secuturum diligenter cavendi.

DUBIUM IV.

An functiones, quæ ex officio alicui incumbunt, si per accidens sunt occasio peccati mortalis, dimittendæ vel omittendæ sint; an verò solùm illæ, quæ vel sunt inutiles vel solo charitatis titulo exercentur?

SEntentia illa Scripturæ S. cujus tam sæpè meminimus: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te &c.* nihil prorsus discriminis hac in parte insinuat inter ea, quæ ex officio, & quæ ex charitate peraguntur. Quid enim interest, an hinc an istinc illa fiant, modò ipsum officium cum suis functionibus queat dimitti?

Quare intrepidè concludendum, si ex. gr. Confessiones audire, huic homini mansurum sit occasio peccati mortalis, quod ab iis audiendis abstinere debeat, non tantum is qui ex charitate solâ eas audit, sed & iste, qui ex officio: & hinc consequitur quod officium ipsum, ex. gr. Pastoratum dimissum oporteat:

omnia

omnia quippe quæ hactenus tum in hoc Tract. tertio, tum in secundo allegavimus ad comprobandum, quod occasiones peccati mortalis debeant resecari, etiam ostendunt, quod ejusmodi officiis renunciato opus sit, dum ipsa sunt peccati mortalis occasio.

DUBIUM V.

Utrùm sicut discrimen inter occasionem per se & per accidens, ita ut remotam inter & proximam sit Confessario expendendum.

SI per occasionem remotam intelligas, eam quæ quadam intercedentium causarum seriè nata est ad peccatum mortale pertrahere, ea nihilominus tam vitanda est, quàm occasio proxima; modò cætera sint paria. Nihil proindè ad rei momentum faciet, num proxima num remota dicatur hôc sensu occasio.

Si remotam voces, quæ raros admodùm homines in peccatum pertrahere nata sit, quamquam hunc ob infirmitatem ejus singularem eo trahat, si, inquam, hunc in modum interpretemur ter-

terminum istum, idem valebit quod occasio per accidens.

Postremò, fortassis vocari posset respectu singularis personæ occasio remota, quòd videlicet periculum peccandi inde ipsi impendens adeò remotum sit, ut propter nimiam distantiam in moralibus nihil considerationis mereatur: vel quòd periculum idcircò consideratu non sit dignum, quia eousque remotum est, ut in talibus actionibus declinari nequeat, nisi assumendo genus vitæ exoticum, à piorum consuetudine alienum, quin & magis periculosum: velut si quis merè ob communem hominum fragilitatem ita timeret occursum aut aspectum personarum alterius sexûs, ut propterea vix auderet per plateas incedere, & in publicum prodire. Quin & hoc in remotissimis occasionibus evenire potest, ut pari ratione, quâ istud huic dicitur peccandi occasio, non incongruè diceretur, in omnibus ad personam hanc comparatis, quod de insipientibus dicit sacer Textus: *Creaturæ factæ sunt in tentationem animabus hominum, & muscipulam pedibus insipientium.*

Dicto opus non est, quod occasio per

accidens, quæ postremo hôc sensu remota nuncuparetur, non sit vitanda, quandoquidem id satis notum sit, imo nisi à proprio loquendi modo recedamus istud tum revera peccandi occasio nequaquam dicendum est: quare etiam definitione occasionis Tractatu præcedenti tradita non comprehenditur.

QUÆSTIO II.

Quæ doctrinæ traduntur, aut ut minùs sequuntur ex consequentibus S. Caroli verbis: *Alterius generis occasiones* (inquit) *quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiamsi per se licent; tamen probabiliter timetur ne is, qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit peccata relapsurus sit, si in iis*

iis operibus, in quibus antea versatus est, perseveret.

PRima hinc eruitur, quòd occasiones per accidens ex conditione peccantium sumantur, hoc est, ex peculiari quorumdam peccantium conditione, quæ aliis hominibus communis esse non consuevit: veritas hujus doctrinæ non difficulter ex quæstione superiore cognoscitur.

Secunda doctrina est, illa quæ in se spectata, seu peculiari pœnitentis conditione sepositâ, forent permissa & licita, sæpè nihilominus eidem pœnitenti esse occasionem per accidens: patet rursum ex supradictis, & exemplis sequenti infrà quæstione è *S. Carolo* ponendis explanabitur.

Tertia: ut Confessarius nomine occasionis per accidens quidpiam rescindendum esse censeat, nequaquam necessum est, ut pœnitentem, si in illa perseveret, in eadem quæ olim peccata admisit, certo relapsurum noverit, sed sufficit, si probabiliter istud timeat.

DUBIUM UNICUM.

Vtrùm Confessarius prudenter judicare possit, quòd aliquid suo pœnitenti sit occasio per accidens, quamvis pœnitens in ejusmodi occasione antè non vixerit?

DIcta *S. Caroli* solummodò mentionem faciunt istius occasionis per accidens, quæ ex vitâ in ejusmodi occasione antè actâ innotescit; quod nimirum indè ut plurimùm in cognitionem occasionis per accidens veniatur. Nihil equidem vetat, quo minus occasio per accidens aliundè à Confessario cognoscatur: hoc fiet, si ei satis notum sit, pœnitentem esse admodum imbecillem ad resistendum iis tentationibus, quæ certum vitæ statum comitari solent. Ex. g. ex pœnitentis indole jam satis sibi perspectâ colligit, ipsum in officio superioris tam Ecclesiastici quàm Sæcularis, in officio item Confessarii, judicis, Prætoris aut his similibus, si illa ei obtingant, in varia lapsurum peccata: quod Confessario multò magis fiet verosimile, si pœnitens in hoc istudvè officium aut statum

ſtatum ſine vocatione legitima ſeſe ingerat; vel quod pejus eſt, per artes pravas illud adipiſcatur, aut etiam violentè ſeſe in iſtud intrudat: ponimus inſuper ſermonem eſſe de officiis obeundis, in quibus non vulgari Dei protectione & gratiâ opus eſt, quam (ut nemo non novit) Deus gratis dat, quibus dat: at indubiè magnæ præſumptionis eſt, perſuaſum ſibi habere, quod Deus pro inſatiabili ambitionis & avaritiæ noſtræ cupiditate, gratuita gratiæ ſuæ munera aucturus erit & accumulaturus. Nunc redeundum ad occaſiones per accidens; quæ ex vitâ antè actâ dignoſcuntur.

QUÆSTIO III.

Qui ſunt illi, quibus ſubſequentia à S. Carolo recenſita ſunt occaſiones per accidens, dum ait: *Tales ob mundi corruptelam plurimis eſſe ſolent, in caſtris eſſe, merca-*

turam sequi, magistratus obire, advocati & procuratoris officium exercere?

Iis ut minimùm hæc sunt occasiones per accidens, qui suam ob infirmitatem hinc ad mortalia sunt seducti, & modò tantam sibi eorum consuetudinem adsciverunt, ut saltem probabiliter timendum sit, si eadem obire pergant munia (cum rursus eædem illæ se oblaturæ sint occasiones) ut ad resistendum peccatis fortiorem animum, quàm hactenus, sint oppositturi.

At hoc ipsum, inquies, undè dignoscam? Vitam ante-actam compara præsenti pœnitentis conversioni, & expende quid hinc spei, quidque isthinc timoris supersit. Nec dubites, quin maximè in hanc rem fuerit, quod Confessario per experientiam, aut per examen notum fiat, cujusmodi fuerint anteriores conversiones, & præterea quàm parum conversiones istæ frequentem relapsum valuerint impedire. Denique si conversio præsens non sit validior anterioribus, concludendum, quod sicuti istæ, ita & hæc

hæc non efficiet, ut eadem & invariata officia desinant esse occasiones mortaliter peccandi.

DUBIUM I.

Utrùm Confessarius, quoties pœnitens promittit, se in quibusdam occasionibus per accidens non ampliùs peccata iteraturum, illi credere debeat, etiamsi notitia, quam ex præsenti & anteriori pœnitentis statu adeptus est, contrarium satis ostendat.

POsitis iis (de quibus in titulo fit sermo) quòd nimirùm notitia, in quam ex præsenti & anteriori pœnitentis statu Confessarius devenit, contrarium ipsi ostendat: iis, inquam, positis tametsi aliud promittat pœnitens, Confessarius non solùm non debet credere, sed quo minus possit, physica repugnantia obsistit: scit enim, quod adversus relapsum verba sine animi immutatione nihil valeant: hanc autem (ut supponitur) novit tam esse invalidam, quam erant anteriores conversiones, de quibus eumdem in modum (velut rursus supponitur) pœnitens testatus fuit.

Verùm, inquies, pœnitens vir est spectatâ fide & animo sincero, de quo affatim mihi constat, quod ad omni prorsùs imposturâ sit alienus: Fac ita esse: fit interim & quidem sæpissimè, ut fallatur ipse, dum videlicet velleitates suas, efficaces forsitan existimat esse voluntates, vel, quod admodum frequens est, propositum peccata in his occasionibus vitandi, etsi vitandi solùm pro tempore, nihilominus id ad justificationem sibi revera sufficere arbitratur. Postremò & istud non rarò accidit, ut ipsum-met pœnitentem sua ipsius inconstantia lateat, quæ tamen Confessario potest esse perspecta, dum ipse per experientiam, & suæ professionis studium in ejusmodi magis est peritus.

Ut ut sit, indubiè fieri nequit, ut Confessarius ob pœnitentis promissa adducatur, ut fingat illa jam desiisse esse occasiones per accidens, de quibus tam anterioris & præsentis vitæ, quàm anteactarum conversionum notitia satìs persuadet, quod pœnitens in occasionibus per accidens peccatorum perseveret.

DU-

DUBIUM II.

Vtrum Confessario non liceat ob pœnitentis promissa contra propriam scientiam supponere, quòd hoc illudve non erit illi ampliùs occasio peccandi per accidens, atque ita ex illâ suppositione ipsum non obligare ad istud rescindendum?

QUisquis ad quæstionem hîc propositam vel leviter animum adverterit, procul dubio velit nolit, respondere cogitur, inanes esse & fictitias illas suppositiones, ipsasque veluti mera figmenta ab animo sincero excludenda; de illis loquor, quibus Confessarius contra dictamen suæ ipsius conscientiæ supponit: nihil quippe, vel ad pœnitentis salutem, vel ad Confessarii securitatem suppositio prorsus conferre potest; nam fiat, non fiat suppositio, si tamen quæ supponuntur, certò falsa sint, nihil immutabit suppositio, sed certò falsa manebunt: si autem quæ supponuntur, dubia sint, supponatur non supponatur, dubia nihilominus manebunt dubia. Quare sine hæsitatione concludendum,

quod ejuſmodi ſuppoſitiones nec Confeſſario nec pœnitenti quidquam prorſus prodeſſe valeant, & tamen (quis hoc ſatis demiretur) inveniuntur, qui etſi dubitent, num pœnitens ritè ſit inſtructus, num verè converſus, equidem ut omnem inſtruendi, examinandi, monendique obligationem ſibi eximant, prætexunt fictam illam, inanem & nihil profuturam ſuppoſitionem. Hinc fortè, nec temerè ſuſpicari licebit, quoſdam iſtius generis reperiri, qui etſi propriâ conſcientiâ teſte ſatis nôverint, quidpiam ſuo pœnitenti multorum relapſuum occaſionem rurſus futurum, nituntur ſibi-ipſis imponere, ſeſe equidem ſecùs ſupponere, fingendo ſcilicet, quod humano affectui magìs eſt accommodum, vel quod cupiditati in hiſce rerum circumſtantiis favere magìs & abblandiri videtur.

Hos interim rogatos velim, cur apud illum, quem non dubitant eſſe furem, pecunias ſuas deponere non auſint? Ecquid hîc timent? Tuta erunt omnia, modo ſupponant (uti aliàs in more ipſis poſitum) furem non eſſe furem. Similem in modum liceat interrogare iſtos, qui

qui cum de insufficienti pœnitentis instructione & conversione non possunt non dubitare, conantur equidem à labore examinis sese expedire per suppositicias istas suppositiones: illos, inquam, similiter rogemus, cur thesaurum suum homini peregrino & ignoto non credant, supponendo rursum, quod ille revera sit quàm maximè fidelis, & ab omni prorsus injustitia alienus. Si verò, pro-ut meritò conjicimus, custodiam illam non satìs fidam aut tutam arbitrentur, quare saltem non timent, ne isto suo facto impingant in communia ista, adeò sibi alias familiaria: unusquisque habendus est bonus, donec probetur malus: in dubiis de proximo semper est bene judicandum: quæ sicut nonnulla istius generis alia, quamvis non careant verò aliquo sensu, sæpè tamen ineptissimè assumuntur pro directione Confessarii in impertiendâ absolutione, veluti indubiè stultum foret, sic ea interpretari, ut propterea censeret aliquis, quod rem notabilis momenti ex. gr. thesaurum homini peregrino & ignoto credere oporteat.

Alia sunt his similia, quibus ejusmodi

ſuppoſitionum vanitas non minùs innoteſcit: ſupponunt ex. gr. quaſdam per accidens occaſiones ebrietatum fortè & impudicitiarum, revera non eſſe talium peccatorum occaſiones; id ſupponunt, etſi falſum eſſe ſciant ii, qui numquam ſibi perſuaſuri ſunt, quod in fictis illis ſuppoſitionibus quidquam præſidii reperire ſibi poſſent, ſi per impudicitias, quas prævident, putarent diffamandam ſuam familiam in ſororę ex gr. vel aliâ admodum propinquâ, aut ſi per ebrietates pariter prævifas ſibi damnum notabile ab ebrioſo famulo cernerent imminere.

DUBIUM III.

Quorum peccatorum apud plurimos eſt occaſio per accidens, quòd S. Carolus primo loco ponit inter ſua exempla, dum ait: " TALE „ OB MUNDI CORRUPTELAM PLURIMIS ESSE SOLET IN CASTRIS „ ESSE.

NImis frequenter videmus, quod iſtud multis ſit occaſio rixandi cum commilitonibus & pugnandi: ſed longè deterior eſt peſſima multorum voluntas, quod

quod nimirùm prompto ſemper ſint animo, dum ſibi viſum fuerit, duella offerre, vel oblata non detractare, tum ſaltem quando ſine infamiâ, ut vocant, excuſari non poſſunt.

His annumerandi ſunt & illi, qui contemnunt, minoris æſtimant, & tamquam dignitate militari indignos habent, quotquot duella juxta leges mundanas oblata acceptare verentur.

Prætereà teſtatur quotidiana experientia, militibus non paucis admodum eſſe familiare, blaſphemias & jurationes per conſuetudinem effutire.

Neque apud illos rarum eſt, ruſticos & itinerantes rebus ſuis ſpoliare, eoſque iniquè divexare; impudicitias dicto proferre & opere exercere, timorem Dei prorſus exuere, imò ad jactantiam, vel aliorum terrorem illo ſe exutos ſimulare.

Denique ſunt inter ipſos, qui in malefactis audacter gloriantur, & quia ipſos pudet cum impudentibus non eſſe impudentes, etiam crimina, quæ numquàm admiſerunt, ſibi-ipſis imponunt.

DU-

DUBIUM IV.

Quanam sunt ista peccata, quorum ob mundi corruptelam plurimis est occasio per accidens exemplum secundum à S. Carolo positum "MERCATURAM SEQUI"?

MUltis istud est occasio fraudes multiplices inveniendi & exercendi: ut sunt viliores ac vitiosas merces pro melioribus ac integris subtrudere, aut illas hisce immixtas vendere, vel quiddam ob emptoris imperitiam aut indigentiam plus justo divendere, id est, ideò cariùs & plus justo, quia emptor isto carere non potest, vel quod justum pretium ab ipso ignoretur.

Ipsos etiam Reges, Respublicas ac Supremos Principes, quàm sæpissimè defraudant quidam mercatores, ut vel hinc ditescant.

Nulli magìs quàm mercatores usuras variis titulis tegere noverunt: apud quos proinde quam maximè obtinet
1. Tim. 6. illa sententia Apostoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli*: nec non hæc ejusdem: *Desideria multa*

multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Atque ita in his non difficulter reipsâ deprehenditur quam verè dictum sit: *Radix omnium malorum est cupiditas.*

Ab hac radice mercatoribus multis, quibus animus est libidinosus, facilis est ad impudicitias aditus: ad luxum quoque, & his similia per pecunias, quibus abundare solent, non difficulter prolabuntur. Neque his infrequens est gravis eleëmosynarum præ avaritia neglectus, quod postremum vel maximè apud illos obtinet, qui inexcusabili quodam ambitu ac conatu ad novos dominiorum ac dignitatum titulos sese, suamque familiam evehere nituntur. Ex his universis patet, multos reperiri mercatores, qui primam suam curam in his perituris collocant, qui, inquam, creaturas loco finis ultimi habent, easque proinde amore prædominante amant & amplectuntur.

DU-

DUBIUM V.

Qualium peccatorum quibusdam est occasio per accidens, quod tertium exemplum ponit S. Carolus scilicet " MAGISTRATUM OBIRE ?

Dum magistratus primùm aditur; ipso in limine graviter offendunt, qui etsi scientia requisita careant, animi quoque fortitudine, justitiæ insuper ac boni publici amore, imò & aliis quæ ad istud munus benè obeundum desiderantur, sint destituti, nihilominus improbo conatu in magistratum se intrudere non verentur, & quidem (quod non adeò rarum) cum perjurio, sive apertò, sive (quod apud Deum idem valet) restrictione mentali artificiosè tectò; pejerando nimirum quòd nec directè nec indirectè pro magistratu adipiscendo quempiam sollicitârint, aut munera dederint.

" Præterea (loquor verbis S. Caroli)
" in magistratu adeundo, & aliis officiis
" administrandis multa juramenta re-
" periuntur, quæ servari debent, quæ ta-
" men posteà non servantur.

Alii

Alii contra Regis ac Reipublicæ leges officia publica divendunt, atque ita ex venditione rei non suæ injustum lucrum captant.

Alia quoque iniquitas & injustitia apud hos reperitur: quando cum magno Reipublicæ damno digniores prætereundo indignis aut minùs dignis ex privato & carnali affectu officia & functiones Reipublicæ conferunt.

Onera quoque cum personarum acceptione ab iis distribuuntur, dum se & sibi conjunctos, suósque fautores aut iniquè eximunt, aut minùs quàm justitia exigit, gravant.

Nimis frequentes sunt, quibus usitatum est, secùs quàm officium ipsorum exigit, bonum publicum administrare, imò prorsùs negligere, aut istud cum notabili Reipublicæ dispendio ad privata commoda convertere. Hinc in iis, quæ publicum concernunt, multi non ut publico benè sit, occupantur, sed ut per extraordinarias & studio conquisitas vacationes (ut vocant) ipsi lucra sibi aucupentur.

Quantum hi absunt ab ideâ boni regiminis, quam insinuat S. Augustinus ad Epist. 54.

Mace-

Macedonium, ubi nequaquam illi sufficit, ut Reipublicæ rectores temporalia Reipublicæ bona sic administrent, ut spiritualia & æterna civium bona non spectentur. Verba S. Augustini sunt: " Itaque si omnis prudentia tua, quâ „ consulere conaris rebus humanis, si „ omnis fortitudo, quâ nullus iniquitate „ adversante terreris, si omnis tempe„ rantia, qua in tantâ labe nequissimæ „ consuetudinis hominum te à corrup„ tionibus abstines, si omnis justitia, „ quâ rectè judicando suâ cuique distri„ buis, id laborat, id nititur ut hi quibus „ vis, ut benè sit, salvi sint corpore & ab „ omni cujusquam improbitate tuti at„ que pacati, habeant filios sicut novel„ las constabilitas, filias ornatas sicut si„ militudinem templi, cellaria plena eru„ ctantia ex hoc in hoc, fœcundas oves, „ crassos boves, nec maceriæ ruina de„ formet prædium, nec litigantium cla„ mor personet in plateis eorum: ita non „ erunt veræ virtutes tuæ sicut nec isto„ rum beatitudo". Et paucis interjectis: „ Si inquam, administratio tua illis, quas „ commemoravi instructa virtutibus, „ hoc intentionis fine determinatur, ut homi-

„ homines ſecundùm carnem nullas
„ quas moleſtias patiantur ; nec ad te exi-
„ ſtimas pertinere , quò iſtam quietem
„ quam præſtare niteris, referant , id eſt ,
„ ut verbis non ambiam , quomodo
„ Deum verum, ubi eſt quietæ vitæ om-
„ nis fructus , colant, nihil tibi prodeſt
„ ad vitam verè beatam tantus labor".
Abſit ergò ut in magiſtratu , quemadmodum verè Chriſtianum decet , officio ſuo fungantur illi , quibus nihil curæ eſt, ſive virtus in Republica floreat , ſive vitia ibidem graſſentur ; nihil,inquam,curæ eſt , modò hinc temporalia commoda non pendeant. Et quod longè pejus eſt , inveniuntur inter illos & fortè non pauci,quibus ipſa vitia placeant,quin & ſtudio procurentur ac foveantur , hoc ſolo titulo , quod hiſce ærarium auctum iri ſaltem aliquò uſque videant.

DUBIUM VI.

Quorum peccatorum sunt occasio per accidens, quæ S. Carolus pro quarto & ultimo exemplo ponit, nimirum CONSILIARII, ADVOCATI ET PROCURATORIS OFFICIA EXERCERE?

„ INter Consiliarios, Advocatos & Pro-
„ curatores (ut ait S. Carolus) clien-
„ tum perniciei ac damnis incumbitur,
„ contra id quod propria conscientia dictat faciendum". His addere licet sequentia: Sententiam seu justam seu injustam vendere: item quod pro his iniquè acceptum est, non restituere.

Plurimis injustitiæ periculis expositi sunt ii, quibus falsò persuasum est, quòd è duabus sententiis probabilibus judici, quam lubet eligere liceat, in gratiam partis, cui ipse favere desiderat.

In majori versantur periculo, qui insuper existimant revera probabile esse, quidquid unus alterve scriptor ex iis, quos hodie doctos & probos vocant, dicit esse verum, vel, si hoc nimium, dicit esse probabile. Nemo quippe dubitare potest, quin adeò perniciosa sint illa prin-

principia, ut omnium penè tribunalium judicia nata sint pervertere.

Neque caret magno injustitiæ periculo, quod Judex credat in jure dicendo dari quandoque casum pro amico.

Graviter delinquunt Advocati & Procuratores, dum causarum, quas iniquas esse sciunt, nihilominus patronum agere non detrectant; neque excusationem obtendere possunt, quod in gratiam sui clientis injustum pro justo imponere nôrint, aut judicem fatigare.

Peccant etiam, qui ut lucra sua augeant, lites studio protrahunt cum notabili clientum suorum damno; aut in iis prosequendis gravem negligentiam committunt.

Si dixeris fortè, consectaneum hinc esse, quod nemini liceat hujusmodi functiones exercere, id est, quod nemini liceat esse in castris, mercaturam sequi, magistratum obire, Consiliarium, Advocatum & Procuratorem agere: nulla prorsus est ista illatio, quia S. Carolus non vocat ista occasiones *per se*, id est, occasiones, quæ tales sint passim respectu omnium hominum, sive ob communem hominum infirmitatem, sed oc-

casiones *per accidens*, quòd nimirum tales sint respectu quorumdam, & ob illorum infirmitatem specialem. Dicit quidem S. Carolus, quod ista plurimis sint occasio peccandi, nusquam tamen, omnibus esse ejusmodi occasionem, asseruisse comperitur. Quapropter indubiè cum S. Caroli doctrinâ consistit, quod antè dictis officiis etiam multi christianè & piè fungantur. Notanda sunt ista verba S. Caroli: " In magistratu, inquit, adeundo, & aliis officiis assumendis, multa juramenta reperiuntur, quæ posteà non servantur" : unde Confessario utile admodùm erit, si dum status pœnitentis exigit, eam de juramentis istis instructionem sibi comparet, quâ de eorum observantiâ vel neglectu pro munere suo ritè judicare possit: si verò illâ careat, poterit, dum opus erit, super istis pœnitentem examinare, & ab ipso instructionem illam acquirere.

QUÆSTIO IV.

Quam doctrinam S. Carolus tradit his verbis : *Omnes qui ſunt hujuſmodi ſecundum S. Auguſt. vel negotium ipſis periculoſum deponant, vel ſaltem abſque licentiâ & obedientiá pii ac probati Sacerdotis non exerceant ?*

EX his juxta S. Caroli mentem conſequens eſt, quod periculoſum ejuſmodi negotium quandoque deponi debeat, & tamen aliquando etiam cum licentia & obedientia pii ac probati Sacerdotis retineri poſſit. Deponi debet, quandò ſatìs conſtat, quod ſicuti fuit antè mortalium peccatorum occaſio, ita & impoſterum pœnitentem ad eadem illa denuò ſit reducturum, ita quidem ut ſolertia, induſtria, inſtructiones, exhortationes & alia, quæ Confeſſarius in

hanc rem conferre poteſt, relapſus inde naſcituros ſiſtere non valeant.

De reſcindendâ tali occaſione hunc in modum loquentes ſupponimus, quod non adſint illæ circumſtantiæ, quibus, negotio iſto relicto, ad ſtatum magìs vel æquè periculoſum per illius reſciſſionem deveniendum foret; hoc quippe eventu talis occaſio früſtra tolleretur. Tum igitur potius ad officium Confeſſarii ſpectabit omnem, quem poteſt, conatum adhibere, quo immutet internam illam pœnitentis diſpoſitionem, illam puta, quæ, ſive in hoc negotio, ſive in alio ſtatu, ad quem priori deſerto eſſet accedendum, pœnitenti adfert periculum peccatorum mortalium: id eſt, Confeſſario allaborandum erit, ut opportunis remediis pœnitentem ſuum præmuniat, ne officium quod tali eventu fruſtrà deſereretur, poſthâc pœnitenti ſit occaſio mortaliter peccandi: ſi verò pœnitens huc collaborare detrectet, nemo non videt, quin hoc ipſo peccata ſua anteriora ſaltem interpretativè rurſum velle cenſeatur.

Alia nunc S. Caroli verba in titulo poſita expendenda ſunt: " Vel abſque licen-

„ licentia, inquit, & obedientia piæ „ probati Sacerdotis non exerceant“; nimirum non exerceant negotium illud sibi periculosum.

. Sacerdotis interventum hîc requirit S. Carolus, nec sufficit ipsi qualiscumque, sed pii & probati Sacerdotis interventum exigit. Et meritò, ut namque pœnitens in negotio, quod jam pridem illi fuit periculosum, tutò versari queat, non mediocri opus est cautione.

Examinandum itaque, quando Confessario liceat indulgere pœnitenti, ut in ejusmodi negotio permaneat. Seponimus hìc casum, de quo supra, quod negotium istud deseri non possit, nisi veniatur ad aliud magìs vel æquè periculosum. Dicendum igitur ad quæsitum, imprimis tum posse permanere, quando præsens conversio tanta est, ut propter hanc negotium istud jam desinat esse occasio. Præterea id licet, quando Confessarius pœnitentem, etsi in negotio isto permaneat, potest iis, quæ suggesturus est adversus relapsum, satis præmunire. In hoc postremum Confessario præcipuè collimandum est, dum occasiones *per accidens* sunt officia aut negotia

ex se honesta: etenim sæpissimè evenit, ut nisi maximâ cum difficultate à Pœnitente talia non deserantur.

Imò natum est fieri, ut pœnitens tenaciùs adhæreat ejusmodi officiis aut negotiis, quàm ipsis vitiis, ad quæ ista ex accidenti trahunt, ut proinde Confessario mirum videri non debeat, si plus sæpè difficultatis reperiat, dum pœnitenti persuadere conatur, ut officia aut negotia antedicta dimittat, quàm in procurandâ mutatione animi, tali scilicet ac tantâ, ut ista deinceps non sint occasiones per accidens mortaliter delinquendi.

Quare dum agitur de dimittendis officiis aut negotiis de se honestis, Confessario plerumque annitendum est, ut primùm experiatur, num animus & dispositio ac imbecillitas pœnitentis potiùs immutari queant: quòd quidem hâc in re singulariter observandum existimo, ne alioquin Confessarius & sibi & pœnitenti facessat inutiles molestias, & huic insuper damnum in temporalibus non necessarium. Sed contingit quandoque, ut Confessarius frustra in hoc operam collocet, quòd ea

omnia,

omnia, quæ ad sistendum relapsus conquirit, non respondeant sperato effectui; tum officia & negotia ista protinus rescindenda esse, patet ex verbis Christi Domini toties ante-hâc allegatis: *Si oculus tuus &c.*

Si pœnitens nihilominus in ejusmodi officio perduret, observandum erit sequens monitum S. Caroli: " Qui quidem (Confessarium intelligit) hominem eo modo constitutum absolvere " non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiqua " occasione perseverat: sed æquum est, " ut vitæ emendatio, & quædam illius " approbatio per temporis intervallum exspectetur".

Hisce monitis de occasionibus per accidens, ne putentur esse momenti levioris, aut velut ejusmodi facilè elabantur, alia quædam subnectit S. Carolus, quibus inculcatum vult, quantum ex rei, quam commendat, neglectu tum in Confessariorum tum in Pœnitentium spirituale damnum ac animæ detrimentum redundare soleat. Sic ait: " Atque " hîc vigilandum eô diligentiùs, quo " manifestum est hâc in parte Confessarios,

„ rios incuriâ ſuâ maximam præbere „ cauſam, cur in omnibus ferè opificiis „ & exercitationibus publicis peccata „ graviſſima inveniantur & abuſus intolerabiles“. Et ut advertant, quo uſque error proceſſerit, addit: “ Sine quibus multi hodie exiſtimant, nec res „ etiam per ſe æquiſſimas rectè exerceri poſſe“.

Ecce, quæ & quanta S. Carolus imputet Confeſſariorum incuriæ, eorum ſcilicet, qui inſtructiones ante à ſe datas contemnere, vel ſaltem negligere non reformidant. Dicit enim ipſos omnibus iis, quæ breviter recenſuit, præbere cauſam, nec præbere cauſam qualemcumque ſed maximam, neque dumtaxat cur in uno alterove opificio, aut cur in paucis aliquot exercitationibus publicis, ſed cur in omnibus penè opificiis, & pariter in omnibus ferè exercitationibus publicis talia reperiantur: nec delicta aliqua leviora aut abuſus tolerabiles nominat, ſed *peccata graviſſima*, inquit, *& abuſus intolerabiles*.

Pergit S. Carolus peccata illa, quæ magiſtratum adeuntibus, quæ Conſiliariis, quæ Advocatis & Procuratoribus;

quæ-

quæque Militibus ac Mercatoribus magis sunt familiaria strictim recensere: Verùm quia de his suprà sigillatim tractatum est, hîc prætermittemus. Et quid de opificibus dicat S. Carolus, audiemus: " Plerique opifices, inquit, ,, festis æquè ac profanis diebus ita oc- ,, cupantur, ut numquam neque cultui ,, Divino vacent, neque Conciones frequentent".

Peculiari observatione dignum est hâc hominum ætate, quod de *Concionibus frequentandis* hîc ait S. Carolus: Neque minùs notandum, quod non ipsi solùm cultus divini & salutis suæ sunt incurii, sed alios eisdem illis peccatis implicant, dum S. Carolo testante, " Non se so- ,, lum, sed ad similem modum totam distentam familiam habent".

Ne tamen cuiquam oboriatur suspicio, illis de rebus hîc agi, quarum non magni interest, subjungit S. Carolus: " Quamobrem magno numero inveniet ,, Confessarius inter eos, qui talia exer- ,, cent, omnem ferè vitam in peccatis ,, mortalibus duxisse, qui quidem abso- ,, lutionis capaces æstimari non debent, ,, nisi diligentia priùs accedat, quâ simul &

„ & ab involucris hujusmodi liberentur „ & fortiores contra peccatum reddantur". Hæc quidem à Confessario præstanda sunt; sed si Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis (rursus sunt verba S. Caroli) " Non du„ bium est, quin plures deprehendet, qui „ numquam (uti oportet) Sacramento „ pœnitentiæ peccata sua expiarunt".

Quid ad hæc responsi daturos putamus Confessarios, qui pœnitentes suos vel numquam examinant, vel de iis tantummodò interrogant, quorum ipsi pœnitentes ultrô mentiònem faciunt, aut si ijs affinia confiteantur: quid & illi respondebunt, qui frivolis suis suppositionibus contra suæ ipsorum conscientiæ dictamen amant supponere, quidquid eos liberat ab onere?

DU-

DUBIUM I.

Quomodo probatur, quod pœnitentes frequenter examinandi sint super iis quoque; quorum nulla ab ipsis in Confessione facta fuit mentio, imò etsi nihil illis affine Confessi fuerint?

PAtet ex hypothesi tertia primo Tractatui præmissa, quod in administratione Sacramentorum non liceat uti materia dubia, dum potest haberi certa. Pâtet quoque ex naturâ rei, quod medico spirituali non liceat impendere absolutionem, de quâ num profutura sit, meritò dubitat, dum præviis interrogationibus pœnitens ita disponi valet, ut ipsi impendatur absolutio moraliter certò profutura.

Reponent forsan aliqui: non est ratio justa dubitandi de pœnitentis sufficienti dispositione, quando illius insufficientiam suâ Confessione ultrò non prodit; nec mirum, quia dum non nisi hæc peccata confitetur, supponendum est, quòd non commiserit alia saltem mortalia? Ad hoc respondendum, planè cer-

certum esse, non pauca nobis in culpam imputari, quæ ignorantes committimus. Exemplo sunt Chananæi apud quos
Sap. 14. *error tamquam lex custoditus est.* Hi nihilominus neque à culpâ immunes fuerunt, neque exterminii pœnam evaserunt. Si fas est hic comparationem instituere, illis non omninò absimiles sunt ii, de quibus S. Carolus loco supra citato, ubi gravissimorum peccatorum intolerabiliumque abusuum factâ prius mentione subjicit: " Sine quibus hodiè multi existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse".

Huc facit, si ignorantiæ beneficio fieret, ut formalis culpa numquam contraheretur, quorsum David deprecare-
Psalm. 24. tur: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Sanè nisi ita res se haberet, falsitatis quoque insimulandum
Lucæ 23. foret illud Christi Domini: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Non malè igitur conficitur ex iis, Judæos in Christum Dominum verè peccasse.

Hoc ipsum quoque est, quod & Apo-
Act. 3. stolorum Princeps judicat, dum ait: *Et nunc fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis; sicut & Principes vestri;* tantum enim ab-

eſt, ut idcircò eos excuſatos habeat, quin potius audacter inculcet: *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Neque illos ignorantia excuſavit, qui de eâdem Judæorum gente Apoſtolos tum perſequendo, tum occidendo peccârunt graviſſimè, quamquam iſtud perpetrantes arbitrarentur, docente nos Evangelio, ſe obſequium præſtare Deo.

His ita ſe habentibus negari nullatenus poteſt, quin pœnitentium multi coram Deo contraxerint culpam non paucorum etiam gravium peccatorum, etſi illorum non ſint conſcii. Minimè etiam prætereundum, quod multi illorum & ferè omnes, ne quidem ſub extremum vitæ terminum de iſtis peccatis ſeſe, niſi interrogati accuſarent.

Ex quibus hæc concluſio decernitur; examen iſtud frequentiſſimè eſſe inſtituendum, quoties nimirum ſubeſt juſta dubitandi ratio, num ob hujuſmodi peccata ignorantiæ pœnitens ſit abſolutionis capax; patet ex hypotheſi tertiâ & quartâ.

At ne ſuſpiceris illam examinandi neceſſitatem ob ſolum mutilandæ Confeſſionis periculum â S. Carolo poſtulari, ex-

expende, quomodo Confessariorum incuriæ non solum Confessionis mutilationem adscribat (de hac enim ne verbum quidem) sed aliò potissimum respiciat, dum ait: Ejusmodi Confessarios maximam præbere causam, ob quam ipsa peccata committantur, " seu (ut " ipsius verbis loquar) cur in omnibus " ferè opificiis & exercitationibus pu- " blicis peccata gravissima reperiantur & abusus intolerabiles". Hæc rogo, observent, qui se ad istud examen ob solam Confessionis integritatem adstringi forte existimant, & aliter se rem habere perspicient. Etenim etsi Confessionis integritas examen istud non rarò exigat, potior tamen hujus causa dicenda est, ne pœnitentes ea quæ per ignorantiam commiserunt delicta, opere vel affectu ex eadem ignorantia continuare pergant: quid ni & potissima causa, quod Sacramentum frequentissimè reddatur irritum?

Hisce ignorantiæ peccatis annumerare licet peccata semi-ignorata, si ita loqui licet: illa intelligo, quæ etsi conscientiâ nonnihil remordente committantur, creditur nihilominùs, aut credi fingitur,

quò

quòd revera non sint peccata, dum ita suadet peccantium ambitio vel avaritia, aut fortè etiam libido, aliusvè depravatus affectus; atque intereà exusationes quædam, aut invalida virorum Doctorum, ut vocantur, patrocinia obtenduntur, quibus malitia delictorum tegatur, atque ita conscientiam minùs saltem inquietare incipiat.

Possem in examinis istius commendationem hic adjicere, quòd pœnitentes subinde præ verecundiâ confiteri peccata quædam non ausint, donec Confessarii ipsi, de illis aut saltem affinibus peccatis quidpiam interrogandô, perniciosum illum pudorem vel abstulerint, vel ut minùs diminuerint.

Si quis foret, qui his omnibus non obstantibus pervicaciter adhuc asserere pergeret, quòd Confessariis non incumbat, pœnitentes in aliis examinare, quàm in iis, quæ ipsi ultrò confitentur, aut quæ his admodum vicina sunt, si quis, inquam, pravâ hâc foret imbutus opinione, unicum ab illo postularem, quô nimirum animô ipse Confessarius ferret corporis sui medicum, si hic leviorem morbum curandi gratiâ accersitus,

Confessarium lethali morbo laborare prudenter suspicaretur? Putaretne medicum illum probè officio suo functurum, si morbum occultum subticeret, negligeretque eâ de causâ, quòd ipse Confessarius morbum suum vel ignoret vel lethalem esse non arbitretur?

DUBIUM II.

Quandonam adest justa ratio dubitandi de pœnitentis dispositione, ut propterea à Confessario sit examinandus?

ATtentâ intolerabili, quæ nimiùm nunc grassatur, salutis incuriâ: consideratâ quoque gravi (quæ examinando passim deprehenditur) credendorum agendorumque ignorantiâ, respondeo tum examine opus esse, ubi neque confessio, neque confessionis modus, nec alia quæ prudens Confessarius in suo pœnitente observat, addo, nec pœnitentis notitia aliundè comparata, præstant Confessario moralem illam certitudinem (de quâ in Hypothesi tertiâ, quartâ & quintâ) quòd pœnitens ad Sacramentum cum effectu suscipiendum sit sufficienter dispositus.

DU-

DUBIUM III.

Quænam pro illo examine sunt considerandæ?

AD examen ritè peragendum observari potest, quòd pœnitentis defectus, quorum generatim examen institui debet, reduci possint ad tria potissimum capita. Primò locô considerari possunt, quæ spectant ad officium hominis Christiani, quod in his tribus præsertim situm est: credere ut oportet, quæ credenda sunt: sperare quæ speranda sunt: & denique quæ amanda sunt, amare.

Hîc observa, quòd qui amat, quæ amanda sunt, etiam aget, quæ agenda sunt, nam *si diligitis me*, inquit Veritas, *mandata mea servate.*

Secundô locô possunt statui, quæ magìs sunt specialia hominibus hujus istiusve status: e. g. quæ Clericis, Religiosis, conjugatis, aut in cœlibatu sine voto viventibus.

Tertiô, quæ officio, dignitati vel opificio pœnitentis sunt singularia. Præter

hæc possunt & debent sæpè in considerationem venire, quæ ætati, sexui, moribus istius gentis, vel paupertati aut opulentiæ pœnitentis solent esse connexa. Certum tamen est, quòd non omnes quotquot examinandi sunt, in his universis debeant examinari: nam sæpè evenit, ut etiamsi Confessarius habeat justam dubitandi rationem de aliquibus illorum, non habeat pariter de omnibus: non rarò etiam obtingit, pœnitentes in quibusdam interrogatos tam scitè ad ea respondere, ut Confessarius inde advertat, ulteriori examine nihil opus esse: subinde quidem ut de nullo ampliùs pœnitentem judicet esse interrogandum; subinde ut non censeat interrogandum de istis, quæ ab iis, qui priora ita tenent, passim non ignorantur.

Priusquam ad sequens dubium procedatur, eos quibus pœnitentes ignotos examinandi necessitas necdum satis persuasa est, rogatos velim, ut (tantisper præjudiciis ac inanibus suis suppositionibus sepositis) ex quovis hominum statu & conditione aliquot ut minùs examinare dignentur, utque auditis ipsorum responsis candidè velint edicere, quid de com-

communi hominum ignorantiâ, quidque de Confessarii obligatione hinc proveniente tum censebunt.

DUBIUM IV.

An Confessarii, qui ab ignorantiâ juris naturæ peccatum contra illud commissum excusari arbitrentur, ab ante-dicti examinis obligatione idcirco sint eximendi?

NE examinandum quidem hîc duco, num ignorantia juris naturæ possit quandoque esse omninò invincibilis, neque an ullo umquam eventu ab omni prorsùs culpâ excusetur, quod ex ignorantiâ contra jus naturæ admittitur: nec hujus loci est operosè disquirere, quatenùs examinis istius necessitatem vel sola de istis sententiis dubitatio inferat. Ea, inquam, hoc loco sive ad resolutionem propositi dubii examinanda non judico, sed velut indecisa prætereo, ne ab his pendêre putentur, quæ pro asserenda necessitate prædicti examinis adducuntur. Etenim quæ in hac materiâ planè extra dubium posita sunt, abundè sufficient, ut quæstioni hôc titulô

propositæ respondeatur. Nimium apud omnes constat, quòd ex ignorantia vincibili sæpissimè contra jus naturæ graviter delinquatur, in iis ut minimùm quæ SS. PP. saniorumque Doctorum judicio sub obligatione gravi naturæ legibus vetita censentur. Quisquis enim dubitare non potest, quin per ignorantiam vincibilem contra jus positivum graviter quandoque peccetur, id contra jus naturæ & sæpiùs & graviùs fieri consentire cogitur. Sæpiùs, tum quia luce illâ mentium legem æternam ubique ostentante minùs invincibiliter queunt ignorari, quæ in jus naturæ impingunt: tum quia illius transgressio concupiscentias nostras magìs allicit & irritat. Graviùs verò, quia lex naturæ arctiùs non cæteris paribus, quàm positiva obstringit. E quibus consectaneum est, Confessarios qui juris naturæ ignorantiam à peccatô contrà istud commissô nonnumquam excusare censerent, non posse idcircò ab ante-dicti examinis obligatione sese eximere.

DUBIUM V.

Quænam observanda in modô examinandi pœnitentes super generalibus, quæ ad officium cujuslibet Christiani hominis spectant?

INdubitatum est, quòd ista examinandi methodus, quæ promovendæ pœnitentium saluti accommodatior est, à Confessario assumenda sit. Inter pœnitentes nonnulli comperiuntur animo & conditione humiliori, quos modus interrogandi etsi catechistico non sit absimilis, nullatenus offendere solet. Si tamen aliquâ opùs fuerit præfatiunculâ, ea præmitti poterit, quâ pœnitentis admiratio ab inexpectato fortassis examine nascitura præveniatur, dicendô ex. gr. sibi in more positum esse quædam circa hominis Christiani officium pœnitentes ignotos interrogare; adeoque se credere nec huic pœnitenti ingratum fore, si morem solitum hic quoque non omittat.

Alii sunt, qui formâ quâdam occultiori super generalibus hominis Christiani

ſtiani officiis ſunt examinandi, ita quidem ut ipſimet ſe in iſtis examinari non advertant. Dicendo ex. gr. ad vitam Chriſtianam nequaquam ſufficere, quòd Theologicæ virtutes habitu teneantur, ſed quod etiam actu ſint exercendæ. Atque hâc ratione quæri poterit, quomodo hoc illove feſto circa myſteria, quæ tum celebrantur, fidem, ſpem & charitatem exercere ſoleant. Quomodo vel circa quæ actus fidei in ſe excitent ante pœnitentiæ Sacramentum, aut ſacram communionem: quomodo inter hæc creationis ſuæ finem & beatitudinem ſuam æternam ſpectent ac promoveant. Hâc enim occaſione facilè patebit, quid de fine creationis cenſeant, an quoque Chriſtianam ideam de beatitudine habeant. Similiter interrogari poterunt, quos charitatis actus tum elicere ſoleant, cujus motivi impulſu articulos fidei, quos tunc ruminant, tantâ firmitate teneant.

Alios modos interrogandi ſuper credendis, ſperandis ac amandis tum exercitatio, tum Dei ac proximi ingenioſa dilectio facilè adinveniet. Nonnumquam etiam utile erit ſermonem incipere ab iis, quæ ſpecialem pœnitentis æſtimationem

nem

nem innuere videntur, ut fit dum Confessarius verbo vel suo agendi modo indicat, quòd pœnitentem ad specialem devotionem aut meditandi Methodum erudire & promovere studeat, atque de his injectâ priùs mentione, partim suggerere, partim petere poterit, quomodo inter hæc fidem, quomodo spem & charitatem exerciturus erit.

Quandoque opportunum erit pœnitentes interrogare: an proles à prima ætate doceant credenda, speranda & amanda, quidque de singulis eorum ipsis inculcent, ut ad optatum cum illis pertingant.

FINEM.

APPENDIX I.

HYpothesis tertia habet: *Nunquam licet uti materiâ dubiâ, dum certa haberi potest: Confessarius igitur justô relictô dubiô, an dolor pœnitentis & propositum sufficiant, nequit eum sic absolvere, si debitæ dispositionis certitudinem procurare possit.* Hypothesis hæc omninò certa est, adeò quidem ut Theologorum nullus eam aliquô cum fundamentô possit negare. Exinde inferimus, nullô umquam casu licere Confessario dubiè dispositum absolvere, si illum sive examinandô, sive instruendô vel exhortandô, aut aliô quovis modô hâc etiam vice mortaliter certò disponere valeat. Istud ex præfatâ Hypothesi tantâ certitudine sequitur, ut de eô nihil magis, quàm de ipsâ Hypothesi queat dubitari. Quare sicuti Hypothesim admittere debent etiam ii, quibus, absolutionis dilatio exosa est atque insolita, ita pari certitudine, quod hinc velut consectaneum deducimus, admittant, necessum est.

Notatu dignum, quòd Confessarii doctrinam hujus Hypothesis adeò sibi

impressam habeant, ut pœnitentem, si dubia dumtaxat peccata clavibus subjicit, numquam absolvant; multi tamen illorum (mirum!) nihili faciunt, quòd plurimis peccata quidem certa confitentibus, sed dubiè interiùs dispositis absolutionem impendere tentent. Cur, obsecro, non perinde eam adhibent solicitudinem, ut materiam proximam, quantùm possunt certam procurent priùs, quàm absolvant, qualem adhibent, ut procurent remotam certam? Nullô quippe negotiô ostendi potest, quòd plùs periculi tum pœnitentibus tum Sacramento à materiæ propinquæ incertitudine, quàm ab incertitudine remotæ immineat.

Quamquàm Confessarii pro munere suô non immeritò sint solliciti, ut integra sit confessio, ad hanc tamen non præcipua eorum sollicitudo exigitur; potiorem namque habere oportet de pœnitentium internâ dispositione, seu sincera, quæque revera subsit, conversione. Huic procurandæ, prout monuimus, admodum utiliter consideratur ista actuum series, quam in Catechumenorum justificatione describit Trident. Con-

Conc. sess. 6. cap. 6. ubi in hunc modum sancitur: "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in CHRISTÔ JESU; & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quô utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendô, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquàm omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. Ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem".

Ex his tridentini verbis: *Atque illud imprimis à Deo justificari impium per gratiam eius per redemptionem, quæ est in* CHRISTÔ JESU, sequelâ legitimâ deducitur, quòd istud ad justificationem non tantùm sit creditu necessarium, sed quòd inter omnia necessitate medii credenda sit potissimum. Docuit hoc PP. Trident. ille, qui

ad

ad Rom. 3. Paulum docuerat pronuntiare, *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Etenim *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quotquot autem ab ignitis serpentibus morsi fuerant, serpentem æneum necessariò suspicere debebant, ut curarentur, ac proindè curationem, dum sanabantur, huic adscribere oportebat. Ego quidem non video, quin propter hanc similitudinem dubium ut minùs relinquatur, an fides & spes in Christum Redemptorem, quas vocant habituales, ad justificationem sufficiant: id est, an sufficiat, quòd pœnitens interrogatus aut admonitus fidem illam & spem fuisset eliciturus, etsi à notabili tempore non elicuerit: si, inquam, dubium est, an fides illa & spes habitualis sufficiant, sequitur inde quòd Confessarii meritò sint solliciti, ut priusquàm pœnitentem absolvant, in illô non tantùm sit antedicta fides & spes habitualis, hoc est, in modum habitûs otiosa, sed sit excitatior, & in ipsam justificationem magìs influens.

Non

Non proposui mihi in hisce tribus Tractatibus de singulis pœnitentium actibus ad justificationem requisitis, accuratè & sigillatim agere, quod Præfationem prioribus Tractatibus præmissam legenti patescit. Verumtamen sicut ex occasione de fide & spe in Christum Redemptorem paucis hic locuti fuimus; ita quoque alibi, sed sparsim sermo factus est de aliis quibusdam actibus ad justificationem in pœnitente requisitis, ut sunt fuga peccati, illius detestatio, & sincerum propositum mortalia omnia & in perpetuum vitandi.

Nec infrequens in iis mentio fuit de affectu, quô pœnitens esse debet erga primum maximumque mandatum, quô Deum ex totô corde, ex totâ animâ &c. diligere jubemur. Ex quô pariter liquet, examen instituendum (nisi aliundè innotescat) quâ in re pœnitens constituat finem ultimum; sicut enim comperiuntur, quorum Deus venter est, ita & alii longè plures, quorum Deus (simili loquendi modo) sunt opes, honores, scientia, officium, commodum vitæ genus, aut ludi, hortus aut ager, nec non uxor, maritus, proles, aut quid his simile,

mile, quod non est Deus. Quotquot illorum sunt, omnes fruitionem creaturæ alicujus æstimant pluris, quàm Dei Optimi Maximi amicitiam, mandatorumque illius observantiam. Quare, dum aliundè non innotuit, sedulò indagandum est, quid pœnitens affectu suô præcipuè prosequatur, sive cujus rei amor in ipsô prædominetur, hoc est, cui cor maximè affixum gerat, & cui animus illius potissimùm vivat, Deo scilicet, an mundo; Creatori an creaturis. Nam *Qui amat patrem aut matrem plùs quam me*, inquit Veritas, *non est me dignus*. Matth. 10.

APPENDIX II.

QUarta Hypothesis hæc est: *Non licet administrare Sacramentum, dum materia est verè dubia, quamquàm alia haberi nequeat, nisi tam irreverentiæ periculum, quàm alia indè secutura incommoda justa excuset necessitas, undé illum, de cujus sincero dolore vel proposito meritò dubitatur, absolvere citra necessitatem nequaquam licet: sicuti nullâ urgente necessitate liquore de quo, an sit aqua, ambigitur, baptizare inhibetur. Secùs dicendum, dum justa necessitas (qualis dubio procul est extrema)*

aliud

aliud cogit, quia v. g. alioquin absque baptismate decessurus foret. Advertendum, hâc in Hypothesi sermonem esse de materiâ verè dubia, quapropter ad differendum alicui pœnitenti absolutionem, minimè satis est, quòd Confessario de ipsius dispositione suboriantur dubitationes exoticæ, frivolæ, aut scrupulosæ, nullâve consideratione dignæ: cujusmodi possent effingi quandoque ab iis, quos naturæ temperies magìs timidos, atque hinc ad dubitandum proniores reddit.

Observandum præterea, quòd tametsi in exemplum justæ necessitatis sola extrema in Hypothesi fuerit expressa, id non eô animô factum sit, quasi significatum vellem, nullam præter extremam dari justam necessitatem dubiè dispositum absolvendi, contrarium enim in ipsa Hypothesi sat innuitur, ubi facta primùm mentione necessitatis justæ, deinde exempli locô nominatur extrema hisce verbis: *Qualis dubio procul est extrema.*

Cæterum sicuti necessitas aliquandò minor, aliquandò est longè major, ita magna quoque reperitur varietas circa

dubiè

dubiè dispositos, dum eorum alii longè minora, alii multò majora pœnitentiæ signa edunt. In hâc signorum varietate servanda mihi apparet hujusmodi regula: requiritur semper debita proportio inter signa pœnitentiæ & ipsam necessitatem; ita quidem ut quantô minor est absolvendi necessitas, tantó majora pœnitentiæ signa requirantur: & quô necessitas absolvendi est major, eô minora pœnitentiæ signa sufficiant: ubi verò necessitas est maxima, ut fit in homine jam jam expiraturo sufficiunt signa pœnitentiæ minima, si tamen dum ea dare nequit, requirantur ulla, de quo infra. Frustraneum duco hîc exprimere, quod hæc intellecta oporteat, non ut absolutio validè, verùm ut licitè impendi queat.

Bifariam ab hâc regulâ deflecti potest, necessitatem scilicet nimiùm restringendo, vel eam plùs æquô extendendo. Primum si eveniat, ni fallor, à paucis fiet, iisque qui singularitati & rigori tenaciter sunt addicti, atque in illum immodicè propensi: Cæteri namque ab ejusmodi excessibus non admodum difficulter deterrentur retrahunturque

X

que tum ab incommodis, tum etiam ab obloquiis, quæ Confessariis simul atque excedent, aderunt nunquam defutura, quamdiu saltem perniciosa illa absolutiones precipitandi consuetudo, contra quam hîc agimus; apud multos vigebit.

Hac de causâ plus sanè timoris à secundô hodie imminet, ne ab hac regulâ videlicet recedatur justam necessitatem æquô ampliùs extendendo, quod si fieret, indubiè ad luctuosam illam animarum tenderet perniciem, quam S. CAROLUS iis Confessariis imputare non dubitat, "quos, ait, incuriâ suâ maximam præbe-,,re causam, cur in omnibus ferè opifi-,,ciis & exercitationibus publicis pecca-,,ta gravissima inveniantur & abusus ,,intolerabiles."

Porrò necessitas justa, etsi nondum fuerit extrema, potest non tantùm in ægris, verùm & in sanis habere locum. Singulari nihilominùs prudentia opùs est, dum æger quispiam dubiè tantùm dispositus in aliquô quidem versatur periculô, sed non admodùm propinquo. Tum quippè advigilandum sedulò, ne mors absolutionem inopinatò præve-

niat,

hiat, & alterâ ex parte dignum quoque est suâ consideratione, quòd ægri ubi semel fuerint absoluti, de augendâ dispositione non soleant ulteriùs aut valdè parùm esse solliciti.

Alii sunt, quos vulnus aut morbus aliquis subitò in proximum, uti timetur, mortis periculum adducit, quos posteà, etsi necdum sint exempti periculo, meliùs tamen habere contingit, magisque tum animæ tranquillitati, tum sensuum & rationis integritati restitui: in iis, inquam, admodùm utilis videtur hæc praxis: ut in primo isto versantes periculo absolvantur præmissis iis, quæ temporis & valetudinis circumstantiæ præmitti sinunt: deindè ut quam primùm meliùs habent, majori rursùs otiô & opportunitate Confessarius allaboret, ut dispositio augeatur, atque ità vulneratum aut ægrum denuò absolvat.

Ex his universis facile videtur, quanta in Confessario exigatur circumspectio & prudentia, quas difficulter vel nullatenùs fortè obtinebit, nisi per vitam verè Ecclesiasticam, & orandi sedulitatem eas impetret à Deò, qui illas ut oportet petentibus dat affluenter.

APPENDIX III.

An fidelis morbo aliquo ita oppressus, ut nullâ pœnitentiæ signa dare valeat, absolvi possit, etsi absolutionem antè petivisse non constet?

HUic quæstioni secundâ parte Catechismi sui propositæ respondet Hesselius "tali etiam impendendum esse „reconciliationis beneficium, si vixerit „sicut Christiani communiter solent „vivere"... " & si non prosit; satiùs at-„tamen est hoc in aliquo abundare „quàm deficere". Et ille est casus Au-„gustini in loco jam citato, in c. ult. l. 1. „de adult. conjugiis. Quòd si constaret „talem esse hæreticum, non deberet fie-„ri". Hactenus verba Catechismi prædicti. Augustinus verò sic habet: "Ego, „inquit, non solùm alios Catechumenos, „verùm etiam ipsos, qui viventium „conjugiis copulati retinent adulterina „consortio, cum salvos corpore in his „manentes non admittamus ad Bap-„tismum, tamen si desperati, & intra „se pœnitententes jacuerint, nec pro se respon-

„ respondere potuerint, baptizandos pu-
„to, ut etiam hoc peccatum cum cæ-
„teris lavacrô regenerationis abluatur.
„Quis enim novit, utrùm fortassis ad-
„ulterinæ carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerant detineri"? Et subjungit in fine: "quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa". Hæc ex S. Augustino allegat prædictus Catechismus. Prosequitur Augustinus: " Si fortè pœnitentem finiendæ vitæ
„periculum præoccupaverit, nec eum
„ex hâc vitâ sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia". Quamquam in Catechismo hæc ultima subticeantur, hîc adjecta volui, quia non desunt, qui in iis vim aliquam faciendam putant.

Non ignoro, quod contra hanc sententiam objicere soleant, quòd Concilium Tridentinum agens de partibus & fructibus Sacramenti Pœnitentiæ, decernit: "Sunt autem quasi materia hu-
„jus Sacramenti, ipsius pœnitentis ac-
„tus, nempè contritio, confessio & satisfactio",atqui hîc non intervenit Confessio, externa nimirum & propriè dicta, ergo &c. Resp. non adeò certum

esse, quòd eô locô Patres Concil. Tridentini istô loquendi modô, supremum illum, quem Philosophi talibus verbis volunt exprimi, rigorem significent, ac si nimirùm, nullô unquam casu absolutio posset validè impendi sine expressâ & propriè dictâ confessione, ne tum quidem, quando hæc pœnitenti est prorsùs impossibilis. Præterea non asserunt Patres, quòd tria ista sint hujus Sacramenti materia, sed quasi materia: quin imò tametsi satisfactionem inter tria ista numerent, nemo tamen dixerit, pœnitentem non posse absolvi eô titulô, quòd satisfactio sit ipsi impossibilis.

E quibus omnibus videtur dubium esse, an tali urgente necessitate absolutio possit aliquando esse valida, si hoc dubium est, ergò impendenda erit: nec timenda est supposito illo dubio, irreverentia Sacramenti, quia materialis illa irreverentia in tantâ necessitate minùs malum est, quàm hominem aliter forsan salvandum perire ob non impensam absolutionem.

Quemadmodum verò salus proximi requirere videtur, ut in istâ necessitate impendatur absolutio; sic eadem salus proximi persæpè poscit & exigit aliàs

aliàs, ut non impendatur, quod ſatis ſuperque in hiſce Tractatibus, probatum fuit & oſtenſum.

Quædam tamen, hoc caſu ingruente, obſervanda videntur, ut videlicet ſi tempus patiatur, velut non rarò contingit, Sacerdos in pœnitentis aurem actus fidei, ſpei, charitatis ac pœnitentiæ in actu exercito exprimat: accidit enim quandoque, ut moribundi, tametſi externa ſigna edere non poſſint, nihilominus utantur interiùs ratione, & circumſtantium exhortationes optimè percipiant, quemadmodum è variis fide dignorum teſtimoniis abundè & certò conſtat.

Censura Ordinarii.

Hic Tractatus tertius, qui agit de occasionibus per accidens, sub eâdem Censurâ, quâ priores duo, prælo dignus est. Datum Mechliniæ 6. Octobris 1674.

Laurentius Neesen.
Can. Theol. Lib. Censor.

III. TRACTATUS.

QUÆSTIO I.

Quæst.

FINIS.